ANIMADVERSIONES
IN 16

SPECIMEN DISPOSITIONIS &c.
SEU

SPECIMEN
TEMERARIÆ ET INJUSTÆ

ACCUSATIONIS
PER M. S.

PRÆTENSORUM IN BELGIO

JANSENISTARUM ACCUSATOREM

NUPER EDITUM;

ET

PER JOANNEM OPSTRAET S. T. L.

Refutatum, in Authorem suum retortum, & Urbis ac Orbis judicio expositum.





LEODII,
Ex Typographia HENRICI HOYOUX Anno 1698

PRÆFATIO.

Jam menses sunt plusquam octodecim, cum Ex. P. Desirantius *ex Urbe discessurus, Examen controversiarum Belgicarum paulisper sisti supplicaret; promitteretque se, ut primum in Belgium rediisset, novas ad Sanctam Sedem informationes missurum. Verùm adeò promissis non stetit; ut contra, dum informationes ab illo Roma expectat, pendentes coram Sede Apostolica controversiæ non multò post in Belgio, ipso non parum conferente, decisæ sint, & per duo Decreta, alterum* circa usum Formularii, *datum 22. Aprilis* 1697. *alterum* circa administrationem Sacramentorum, *datum die sequenti, illusum sit Summo Pontifici Innocentio XII. qui rebus Ecclesiæ Belgicæ componendis, tot jam annos, tantâ sollicitudine insudârat.*

Crediderat Auctor Speciminis, *post Decreta illa nullam amplius Decisionem expectandam ex Urbe: Sed aliter suæ Sanctitati visum est, quæ postulante Rege Nostro Catholico finem tandem dissidiis positura, terminum peremptorium fixit prætensorum Jansenistarum Accusatoribus, intra quem, si quid adhuc opponendum suppeteret, proferre deberent.*

Ea res ad angustias redegit Accusatorem nostrum, qui, dum expirante jam termino, nihil inveniret in nobis scriptisque nostris quod accusaret, materiem quæsivit in Litteris Historicis, *& nescio cujus* Abbatis Le B. *ut titulus præfert, Epistolam quam illic invênit, plenam irreverentiæ & contumeliæ in Sedem Apostolicam, insigni temeritate & immani calumniâ nobis adscripsit.* Scholia *in Epistolam adjecit istiusmodi, ut nihil vel in nos injuriosius atque acerbius, vel in ipsam Sedem Apostolicam probrosius dici potuerit.*

Summa Accusationis est, esse nos Jansenii & Baii Defensores, non solum non dispositos ad recipiendas decisiones Romanas, sed & pessimè erga Sedem Petri affectos; dum interim Roma, ut ait, nobis favet ad invidiam, omniaque nobis contraria passim proscribit.

Accusationis fundamentum nullum, nisi Epistola illa Abbatis Le B. hominis extranei & planè nobis ignoti, quocum nihil umquam nobis fuit commercii.

Scopus, declinare Tribunal Apostolicum & Decisiones Romanas avertere, ut per duo Accusatoris Decreta decisa maneant omnia, ac deinceps pro ipsius libitu quisque vel ad functiones Ecclesiasticas admittatur vel ab iis repellatur in Belgio.

Atque hoc est præclarum istud Specimen, *quod post tantum temporis Accusator noster ad informandam Sedem Apostolicam partu-*

riit; planè quidem dignum, quod tot alias ipsius accusationes temerarias & falsas coronet, sed quod & Romam tandem ad redimendos à calumniis hominum, innocentes, permoveat. Facilè enim intelliget, non esse in Belgio Jansenistas *nisi* prætensos; *quando Accusator illorum præcipuus, post tot annorum labores, nullum prorsus nisi in* Litteris Historicis, *eumque non Belgam, sed Gallum, & fortè fictitium, invênit. Quis enim scit an non Adversarius aliquis aut fortè heterodoxus Epistolam illam Abbati Le B. Gallo supposuerit? Partem certè Epistolæ, quam præcipuè exagitat Accusator, suppositam sibi esse queritur ipse* Abbas LE BOSSU (*verus iterum an fictitius nescio*) *in scripto, cui titulum facit:* La veritable Lettre de M. l'Abbé Le Bossu &c.

Et quid non metuamus ab iis, qui non ita pridem, ut Jansenistas invenirent Duaci, tot Epistolas fictas per tot artes supposuerunt Vero ARNALDO?

Ut ut sit, Epistolæ illius Rei esse non possumus, qui palam eam nostram, non esse, nec à nobis probari sed vehementer improbari declaramus: Calumniæ reus manet, qui eam nobis adscribit, Accusator donec eam nostram esse vel à nobis probari ostenderit. Atque hoc primum confictæ in nos Accusationis Caput.

Alterum est, quod Licentiatus quidam subscribere noluerit novo alicui Formulario de morte Christi, *nullâ auctoritate legitimâ, sed privatâ nescio cujus Doctoris temeritate ad discernendos Jansenistas fabricato & præscripto. Ex quo Accusator noster concludit, Licentiatum istum* fide divinâ non credere, D. N. J. Christum esse Redemptorem suum, seu pro æternâ salute suâ mortuum esse, *consequentiâ prorsus ineptâ, & non mediocri solum Theologo, sed vel Tirone Dialectico indignâ. Et hâc tamen solâ nititur calumnia tam gravis, scripto publico divulgata.*

Possent hæc ad Specimen *totum confutandum sufficere: sed quoniam, dum confutari videretur segniùs, videri fortè alicui possemus minus alieni à criminibus, quæ in eo nobis afficta sunt; visum fuit subnexis* Specimini Animadversionibus *Accusatoris nostri in criminando temeritatem ac injustitiam notare apertiùs, promptamque animi nostri* ad recipiendas Decisiones Romanas dispositionem, *atque erga Sedem Apostolicam reverentiam ac obedientiam coram Orbe toto testari illustriùs.*

ANIMADVERSIONES
IN
Specimen Dispositionis, &c.

TITULUS SPECIMINIS.

S*Pecimen Dispositionis in Defensoribus Jansenii, Baii, Arnaldi &c. ad recipiendas Decisiones Romanas in modernis Controversiis: seu Scholia in titulum & partem ultimam Epistolæ Gallicæ insertæ libello:* Lettres Historiques... Mois de Mars 1698.

ANIMADVERSIO.

Per *Defensores Jansenii, Baii, Arnaldi &c.* designari Theologos Belgas, quorum causam in Urbe agit Doctor HENNEBEL, ex toto *Specimine* manifestum est.

Equidem paginâ 8. Defensores illos vocat *Factionem, alia omnia Romæ simulantem.* Addit paginâ 9. *favisse ipsis Romam ad invidiam; omnia ipsis contraria passim proscripsisse, nihil penè quod ipsorum esset aut putaretur. Quos ipsi voluerant, ad Urbem evocatos fuisse: Brevia quædam & Decreta obtinuisse.... Frustra Romæ aliquem protestari de submissione &c.* Et pag. 10. hoc esse ipsorum placitum: *Ecclesia non est infallibilis in judicando, quis sit sensus obvius & naturalis alicujus Propositionis.* Denique per *Specimen* totum *Defensores Jansenii* eos vocat, quos ipse Romæ accusat: *Nobis certè,* inquit, *qui hos homines accusamus, nihil lucrandum est.* Et rursus: *Quid ergo nobis restat, nisi ut Roma... vel nos condemnet, vel... ipsos indemnatos in Capitibus, super quibus eos accusamus, sinat?*

Quæ omnia aliis quadrare non possunt quàm Belgis Theologis, qui Doctorem Hennebel pro causa sua tuenda in Urbem deputârunt. Enimverò quæ alia *Factio* est, quam dicere possit *alia omnia Romæ simulare?* Cui dicere possit *Romam favisse ad invidiam?* Ad cujus nutum *evocatio* in Urbem facta sit? Quæ *Brevia quædam & Decreta obtinuerit?* Quæ, inquam, alia *factio*, cui hæc quadrent, nisi Belgæ isti Theologi? Quis verò *Aliquis* iste, quem *frustra* dicit

Romæ protestari de submissione, nisi Doctor HENNEBEL? Qui tandem illi, quorum hoc dicit esse est placitum: *Ecclesia non est infallibilis in judicando quis sit sensus &c.* quosque ipse Romæ accusat, nisi idem Doctor cum iis quorum causam in Urbe defendit?

Atque hoc firmis primùm indiciis stabiliendum fuit, ne fortè Accusator de calumniis convictus effugium quærat, dicatque se non accusare nisi Defensores Jansenii & Baii generatim, nullum autem se speciatim ut talem designare; ideoque neminem ei succensere posse, nisi qui se Defensorem Jansenii & Baii confiteri voluerit.

Defensor Jansenii & Baii non est in Urbe Hennebellus: Non Lovanii Huygenius, non Opstratius, aliive Theologi, qui Huygenio adhærere dicuntur: Non alii aliarum Belgii Civitatum primarii quidam Pastores, Canonici ac Theologi, à quibus ad S. Sedem Deputatus est Hennebellus: Et tamen hos omnes non minus disertè in *Specimine* suo designat Accusator, quàm si digito eos monstraret, aut nominatim exprimeret.

Incumbit ergo Accusatori, vel probare criminationes atroces, quas Viris istis palam adscribit; vel quas adscripsit, palam recantare.

SPECIMEN.

Lettre de M. l'Abbé le B. &c. SCHOLION. *Quis sit ille Abbas le B. nemo melius dixerit, quàm Typographus Hagensis* MOETJENS, *ut qui illud scire potest ex Authore Litterarum Historicarum quas imprimit. Novit hic Auctor Scriptorem Epistolæ, de quo novit dicere, esse Abbatem: Qui est Abbé. Ex Moetjens autem* &c.

ANIMADVERSIO.

Hoc ex *Moetjens*, vel ex Auctore Litterarum Historicarum, vel aliundè scire debebat Accusator, priusquam *Epistolam* illam Theologis Belgis adscriberet. Poterat etiam ac debebat Theologos ipsos, quos præsentes habebat, an Epistolam illam pro sua agnoscerent, interrogare. Sed non ignarus accusandi sibi materiem substractum iri si faceret; maluit accusandi libidini temerè indulgere, quàm veritate deprehensâ, non habere quod accusaret.

SPECIMEN.

Ex Moetjens autem id scire poterit ejus Confessarius.

ANIMADVERSIO.

Si alius id suggereret, mox adversus eum totum Belgium commove-

moveret Accusator, tamquam qui doceret Confessarios abuti scientiâ ex Confessione vel occasione Confessionis acquisitâ, quique eos ad nuperum Episcoporum decretum infringendum induceret: verùm omnia licent Accusatori, modò adversus eos quos Jansenistarum nomine traducit.

SPECIMEN.

Vir, ut dicitur, Jansenii Defensoribus minimè suspectus.

ANIMADVERSIO.

Confessarius ille est R. P. Agapitus Discalceatus; quem dum Jansenii Defensoribus minimè suspectum asserit Accusator, de Jansenismo suspectum facit.

SPECIMEN.

Et qui aliter Pœnitentem suum talia imprimere non pateretur.

ANIMADVERSIO.

En ratiocinium quo nititur Accusatio: Moetjens talia imprimit: Et Moetjens est Pœnitens R. P. Agapiti Discalceati: Igitur R. P. Agapitus Discalceatus patitur eum talia imprimere: Igitur est Defensoribus Jansenii minimè suspectus. Inferendum ulterius relinquit: Ergo & suspectus est de Jansenismo.

Sic Accusator, etiam postquam S S. D. N. Innocentius XII. disertè vetuit quemquam vagâ istâ accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari, nisi legitimè suspectum esse constiterit, aliquam è quinque propositionibus tenuisse aut docuisse; quod de R. P. Agapito non constat.

Cæterum quid iniquius, quam factum Pœnitentis adscribere Confessario? Jam nè integerrimus quidem inter Confessarios criminis suspicionem evadet, si legitima sit ista Accusatoris criminatio.

SPECIMEN.

Quæ omnia hic præfanda fuerunt, ne more suo dicant hi, suppositam sibi suisque hanc Epistolam ab Adversariis ad conciliandam invidiam.

ANIMADVERSIO.

Mira consequentia! Præfatus sum, quod ex Auctore *Litterarum*

 „ Hist

" *Historicarum* Scriptorem Epistolæ scire possit *Moetjens ;* quod ex
" *Moetjens* id scire possit ejus Confessarius, Vir Jansenii Defensoribus minimè suspectus: Ergo more suo dicere non possunt hi, suppositam sibi suisque hanc Epistolam ab Adversariis ad conciliandam invidiam. "

Imò verò tantò confidentiùs dicimus, non quidem suppositam nobis hanc Epistolam (nam supposita dici non potest nisi illi cujus nomine scripta est) sed falsò eam nobis ab Accusatore ad conciliandam invidiam adscribi: Tanto, inquam, confidentiùs id dicimus, quantò securiores sumus, neque Typographum *Moetjens*, neque *R. P. Agapitum* illius Confessarium, falsum dicturos: Falsum autem dicerent, si dicerent Theologos Belgas, quorum causam in Urbe agit Doctor Hennebel, illius Epistolæ esse Authores.

Quis nescit, ipsum *Litterarum Historicarum* Scriptorem multa litteris suis inserere posse tamquam scripta & missa sibi ab aliis, quæ finxit & scripsit ipse?

Quis neget, ab Adversariis nostris scriptam esse posse?

Et esto supponeretur id, quod pessimum supponi potest, scriptam esse à privato aliquo, qui Theologis illis, quos Jansenistas vocant, adhærere dicitur: nec sic tamen ea ipsis imputari posset. Cum enim id ipsis nec scientibus, nec consentientibus, nec probantibus, factum fuisset; non potiori jure ea ipsis adscriberetur, quàm adscribi posset ipsi Accusatori, si fortè quis ex iis, qui ipsi adhærere dicuntur, eam illo nec sciente, nec consentiente, nec probante scripsisset. Expendat, quot malorum reus foret, si imputarentur ei omnia, quæ committuntur ab iis qui ipsi adhærere dicuntur.

Denique (ipsius Accusatoris sententia est) ***nullus respondere cogitur pro facto omnium, qui sibi quacumque ratione adhærent.*** Ita pronuntiavit aliquando scribens ad *Illustrissimum ac Reverendissimum Archi-Episcopum Cameracensem* in causa R.R.P.P. Oratorii Montensis, & jam nos, priusquam accusaret, absolvens. Itaque ad amoliendam à nobis illius Epistolæ invidiam sufficere arbitramur, dum hìc declaramus palam, eam nec à nobis scriptam esse, nec à quo scripta sit scire, nec scriptam probare, sed improbare vel maximè.

Neque est quod objiciat Accusator, nos *more nostro* id facere: Nam vel indè patet, nos similium scriptorum Authores aut Approbatores non esse; qui si essemus, dicere non possemus nisi mentiendo (quod nemo, credo, suspicabitur) nobis illa supponi.

SPE-

SPECIMEN.

Librum hujus Cardinalis (Sfondrati) ***non defendo: imò quædam ejus, primus, ut credo, in Belgio, sed modestè, impugnavi.***

ANIMADVERSIO.

Neque nos Eminentissimi illius Viri librum defendimus, utpotè doctrinæ S. Augustini & Academiæ Lovaniensis *de prædestinatione gratuita, de gratia per se efficaci*, aliisque contrarium: sed nec credidimus eum à nobis impugnari debere. Fortissimè eum impugnaverunt & Suæ Sanctitati denuntiaverunt Gallicani Antistites, qui stro auxilio non indigebant.

Verùm nec sic invidiam declinare potuimus. Sparsus fuit per Urbem rumor, à Doctore Hennebel incitari Belgas Theologos ut se libro Cardinalis Sfondrati strenuè opponerent; mox in ipsum commota Romæ tempestas; accusatur apud summum Pontificem; describitur ut turbulentus; invidia illi concitatur undique: Neque priùs turbæ sedatæ sunt, quam acceptis è Belgio litteris intellectum est, neminem illic adversus librum Sfondrati scribere præter Doctorem Steyaert, qui & nunc gloriatur, quod *primus, ut credit* (ne quis hanc illi gloriam præriperet) *quædam ejus, sed modestè*, impugnaverit.

SPECIMEN.

Quis autem ferat tantam adversus librum Cardinalis defuncti, cujus virtutem nè ipse quidem Abbas impugnare sustinet, amarulentiam?

ANIMADVERSIO.

Neque nos amarulentiam ferimus, quam Abbas ostendit. Sed quis ferat tantam amarulentiam Accusatoris adversus nos? Quos ferè non aliter compellat quàm hisce nominibus: HI, HI HOMINES, HI NOSTRI &c. Ut nihil dicam de tot dicteriis, probris, & calumniis, quibus nos, ut mox patebit, per totum *Specimen* incessit.

SPECIMEN.

Qui antehac Jansenium impugnabant, si vel verbulum duriusculum exciderat, omnes Deos in Jansenio (quia Episcopo in pace Ecclesiæ mortuo) occidisse videbantur.

ANIMADVERSIO.

Phrasis hæc an Grammatico an Theologo dignior sit, an utroque indigna, disputent alii. Nos certè eâ digni non sumus, qui pro Jansenio ne verbum quidem scripsimus umquam; sed silentium à Sede Apostolica indictum religiosè semper observavimus.

SPECIMEN.

Sed Sfondratum ne sacra quidem Purpura cum notissima virtute protegere potest.

ANIMADVERSIO.

Nos sacram Sfondrati purpuram, notissimamque ejus virtutem impensè semper venerati fuimus. Sed non item Accusator veneratus est purpuram & Virtutem alterius Viri Eminentissimi, quem non ita pridem ultimæ Editionis Operum Baii conatus est facere Authorem.

Quid? quod in hoc ipso *specimine* aggrediatur famam Eminentissimi Aguirrii, quem fingit Auctorem non esse eorum, quæ in libris ipsius habentur circa modernas controversias de Pænitentia?

SPECIMEN.

Cur? Jansenium ipse impugnat, & ab illius sensis remotissima tradit.

ANIMADVERSIO.

Jam scilicet Illustrissimi ac Reverendissimi Ecclesiæ Principes & Galliæ Præsules, Rhemensis, Parisiensis, Meldensis, Atrebatensis, Ambianensis, qui contra librum Sfondrati ad S S. D.N. Innocentium P. XII. fortissimè scripserunt, ideò Sfondratum impugnant, quia *Jansenium ipse impugnat & ab illius sensis remotissima tradit;* parumque jam abest, quin Viri illi, quantumvis Illustres, Accusatore nostro judice, Jansenii defensoribus accenseantur.

SPECIMEN

Atque insuper ille est, qui pro Authoritate Pontificis egregium illud opus aliquando edidit, cui titulum fecit: Regale sacerdotium. Hinc illæ lachrymæ, & intemperiæ.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Hactenus nè novimus quidem vel ego vel illi, quibus mihi loq contigit, quod Libri illius Author esset Sfondratus: tantùm abe ut hinc illæ lachrymæ & intemperiæ.

Intemperiæ sunt, Adversariis suis quidquid in mentem venit a fingere, modò valeat ad invidiam ipsis apud Sedem Apostolica conciliandam.

SPECIMEN.

Sic nihil in posterum mittendum Romam pro Censura, Episc pi per se possunt omnia.

ANIMADVERSIO.

Rectè id in Scriptorem *Epistolæ* dixerit Accusator, in nos cer dicere non potest, qui misso ad S. Sedem Deputato, Decisione non aliundè, quam Româ, exspectamus. Sed in neminem id quà in seipsum dixisset rectiùs, qui Deputato suo ex Urbe revocato, co troversias coram Sede Apostolica pendentes ipse non solum nup decîdit, sed & in hoc *Specimine*, Romana legatione opus non fuis apertè significat. *Alia*, inquit, *est medicina, domestica, & non ta procul repetenda, quæ utinam jam ab initio fuisset adhibita! N que nos tantum laboris & impensæ, neque Roma ipsa tantum m lestiæ pertulisset.*

SPECIMEN.

Rectiùs ipsi Illustrissimi illi Antistites, qui librum Romæ scri tum, & quidem à Cardinale, Romanis censurandum remis runt.

ANIMADVERSIO.

Quomodo ergo rectè Accusator, qui optat medicinam dom sticam, non verò Romanam, neque tam procul repetendam, initio adhibitam fuisse?

SPECIMEN.

Hìc varia sunt notatu digna. Obliquè primùm perstringit Summus Pontifex, dum favere videtur Cardinali Viro summ ad hoc saltem ne famâ ejus aliquâ notâ inuratur.

 A

ANIMADVERSIO.

Viderit id Scriptor Epistolæ: nos summum Pontificem ne obliquè quidem perstrinximus umquam. Sed si obliquè Scriptor Epistolæ perstringat Summum Pontificem dum favere eum dicit Cardinali Viro summo, ad hoc saltem ne fama ejus aliquâ notâ inuratur: Quid censendum de Accusatore qui paulò post dicit; favisse nobis Romam ad invidiam? *Nimirum*, inquit, *faverat istis Roma ad invidiam* &c.

SPECIMEN.

Si nuper favisset Operibus toties damnati Baii, nescio an post prima secula Ecclesia habuisset Papam præclariorem.

ANIMADVERSIO.

Non mirum, quod de nupera Editione Operum Baii suspectos reddere audeat nos Accusator, qui de eadem nuper suspectum reddere veritus non fuit Eminentissimum S.R. Inquisitionis Cardinalem.

At faciliùs in Accusatorem ipsum, quam in nos, caderet ista suspicio, qui (ut jam pridem observatum fuit in *Disquisitione Altera* pag. 275. & 276.) huic opusculorum Baii Editioni prælusisse visus est, cum 28. Martii 1996. in lucem edidit ineditam hactenus *Apparitionem Michaelis Baii*, in qua refert, quod rogatus Bajus an pœnas lueret *propter Doctrinam*, Responderit: *Non*. Quid enim post hæc supererat, nisi ut sequeretur Opusculorum Baii Editio?

Neque minus aptè in ipsum retorqueri potest sarcasmus quem immeritò torquet in nos, quasi pro affectu nostro aut deprimamus aut extollamus summos Pontifices. Si enim pro votis ipsius Roma nos inauditos, ut fortè speraverat, condemnasset; non dico nescire me *an post prima sæcula Ecclesia habuisset Papam præclariorem* (nam hæc intemperantis animi sunt) sed istud scio, tam contemptim cum de Roma in hoc *Specimine* scripturum non fuisse.

SPECIMEN.

Sequitur de Societate Jesu: mirum quod non citiùs. Existimavit Author, eas hodie esse animorum Romæ inclinationes, ut nocere Sfondrato possit, si ei favere credantur Jesuitæ.

ANIMADVERSIO.

Nescio an magnam à Jesuitis gratiam relaturus sit Apologista, dum

dum hæc pro ipsis scribit. Facilè enim, quod hìc dicit existimasse Authorem Epistolæ, existimare etiam incipient alii, quibus alioquin, eo tacente, numquam ea cogitatio incidisset.

SPECIMEN.

Ast ego Jesuitas scio non usque adeo probare omnia in Sfondrato.

ANIMADVERSIO.

Utinam hoc palam profiterentur ipsi Jesuitæ!

SPECIMEN.

De Reverendissimo eorum Generali, quid dicam? An fortè alius nunc est ab eo quem nuper ita extollebant, ipsisque suis Jesuitis invidiosissimè opponebant in opere suo de usu probabilium? Sed iterum aliò hæc respiciunt.

ANIMADVERSIO.

Ipse nunc est, qui nuper: sed qui nuper meritò extollebatur, quod se communiori inter Jesuitas & laxiori de probabilibus sententiæ opponeret; is nunc meritò deprimeretur, si, ut scribit Abbas, jactasset præsto esse Jesuitas quinquaginta, qui librum Sfondrati adversus illius Impugnatores defenderent.

Atque hinc nostra vel erga adversarios æquitas elucescit; dum in ipsis etiam veritatem laudamus.

SPECIMEN.

Quod additur, C'est un ouvrage entierement opposè à tout ce qu'ont écrit les pretendus Jansenistes; *sic accipiendum existimo, ut non contradicat saltem Illustrissimo Parisiensi Archi-Episcopo moderno, qui* JANSENISTAS *invênit etiam* VEROS; *ille nempe quem omni saltem Molinismi suspicione liberum esse decet, post tantopere laudatum de Gratia & Prædestinatione Decretum.*

ANIMADVERSIO.

Verba Epistolæ suæ accipiat Abbas pro Gallia ut voluerit: Nos constanter asseveramus, Accusatorem cum suis jam annis pluribus laborasse ut vel unum in Belgio *Jansenistam verum* inveniret, & non invenisse adhuc, nedum coram Sede Apostolica; ut promiserat, probasse. Quæ causa fuit, quod SS.D.N. Innocentius XII. in

Altero suo Brevi ad Episcopos Belgii dato 26. Novembris 1696. usus fuerit hâc voce, *prætensi Iansenistæ*; quâ & nos in Belgio utemur, dum servato juris ordine, juxta prius Breve, probatum fuerit, verum aliquem in Belgio Jansenistam existere.

SPECIMEN.

Sed tandem ad rem ipsam veniamus. Enfin c'est un ouvrage examiné & approuvé &c. *Sic est, Domine Abba: Approbationes illas habet liber Sfondrati; & vel inde accedente ipsius Authoris dignitate merebatur à te tractari modestiùs.*

ANIMADVERSIO.

Nobis certè nulla in Sfondratum immodestia adscribi potest, qui ne in Sfondratum quidem scripsimus vel verbum.

SPECIMEN.

Tu ipse & tui ob causas prorsus easdem velletis, ut quæ non ita pridem libris suis quibusdam inseri passus est Eminentissimus Cardinalis De Aguirre *circa controversias modernas de Pœnitentia,*

ANIMADVERSIO.

Nec Cardinalibus parcit Accusator. Famam Viri doctrinâ & virtute Eminentissimi Aguirrii, utroque Orbe scriptis celeberrimam denigrare studet temerè asserendo, quod *Libris suis* quædam *inseri passus sit circa controversias modernas de pœnitentia:* quasi ipse sibi ad libros suos scribendos non sufficeret, & ex alienis laboribus laudem captaret. Ubi nunc zelus iste pro sacra Cardinalium Purpura, quem paulò ante ostentabat? *Sfondratum*, inquiebat, *ne sacra quidem purpura cum notissima virtute protegere potest:* Cur? *Jansenium ipse impugnat* &c. Dicere nobis potiori jure liceat: *Aguirrium ne sacra quidem purpura cum notissima Virtute protegere potest. Cur?* Opiniones Accusatoris circa controversias modernas de pœnitentia *ipse impugnat, & ab illius sensis remotissima tradit. Hinc illæ lachrymæ & intemperiæ,*

SPECIMEN.

Haberentur ab omnibus tantùm non ut Sedis Apostolicæ placita.

ANIMADVERSIO.

Nescimus quò loco Abbas, aut qui Abbatis sunt, habeant ea

quæ

quæ scripsit Eminentissimus De Aguirre circa controversias modernas de pœnitentia: Nos scimus numquam voluisse nos, ut ab omnibus tantùm non ut Sedis Apostolicæ placita haberentur.

SPECIMEN.

Romam in eo loquentem producebat nuper non-nemo Lovanii

ANIMADVERSIO.

Non dubium, quin designet Authorem *Doctrinæ de Laborioso Baptismo*: sed prorsus à vero alienum est, quod Author ille *Romam* in Aguirrio *loquentem produxerit*. Produxit eum præcipuè tamquam testem, quod *Doctrina de Laborioso Baptismo* nova non esset, nec tantùm apud paucos in Gallia & Belgio, ut objecerat Accusator, inveniretur. En verba ipsius in *Conclusione Doctrinæ De Laborioso Baptismo* ad Accusatorem: "Satis diu clamatum est, Vir Amplissime, nostram de Operibus præparatoriis doctrinam *novam* esse, & extra paucos in Gallia & Belgio, qui nuper à cæteris dissidere cœperunt, non inveniri. Audi nunc Virum Eminentissimum, non in angulo Galliæ aut Belgii latentem, sed in ipsa Urbe Orbi toti dignitate, scientiâ, & virtute conspicuum, sic in te sententiam pronuntiantem &c." Si Romam in eo loquentem Author ille producere voluisset, dicere debuerat: Audi nunc *Romam*... sic in te sententiam pronuntiantem. Sed cum dixit: *Audi nunc Virum Eminentissimum* &c. manifestè accusationem istam de falsitate convincit. Quod & manifestius facit ibidem, dum prolatis Aguirrii verbis subjungit, ideo se illa protulisse, ut tandem intelligeret Accusator, " istam de Operibus præparatoriis „doctrinam novam non esse, sed (ut jam ex Aguirrio audiverat) à Scriptura sacra, Conciliis, Canonibus, & gravissimis Cardinalibus horum temporum traditam, atque in ratione manifesta fundatam: non „concludi illam intra angulum Belgii & Galliæ; sed esse Orbi universo, ad quem clarissima hujus Cardinalis scripta pervasêre, notissimam."

SPECIMEN.

Quid dicent nunc omnes, dum contra hanc Authoritatem tanto te Cothurno vident insurgere? Quæso temperemus nobis: simul agnoscamus, non ideo extra controversiam justæque impugnationis aleam poni scriptum aliquod, dum ab Authore Eminentissimo in lucem datur sub approbatione Censorum Romanorum: non in judicio contradictorio, aut Congregatione aliqua, res ista agitur, non

etiam interveniente ipſius Sanctiſſimi Domini ſententiâ, uti cætera quæ Romæ decidi in rebus doctrinalibus ſolent. Tamen reverentiam aliquam, imo magnam, meretur Cenſura vel ſic data.

ANIMADVERSIO.

Aſſentimur libenter: nec diſſenſimus unquam.

SPECIMEN.

Audiamus eum debacchantem: Il n'eſt pas de même icy, ou les Evêques & tous les Catholiques ont eſté ſi frappez de la doctrine pernicieuſe de ce livre, que le ſilence ou l'approbation au moins tacite de Romains ne ſert qu'animer leur zele. Et je ne doute nullement que ſi nos Prelats ne ſont pas écoutez à Rome, ils ne ſe faſſent juſtice eux mêmes &c. *Hi ſunt tandem iſti Eccleſiæ Rom. defenſores, hi Brevium Apoſtolicorum Apologiſtæ contra Epiſcopos (ad libellos alludo, qui nuperrimè ex eorum officina tam plauſibili cum titulo prodierunt) Hos habet jam Roma ſibi devinctos & ſubjectos. En ſpecimen ſe prodere incipiens diſpoſitionis ipſorum.*

ANIMADVERSIO.

Nihil iniquius, quam iſtas Abbatis Galli debacchationes adſcribere Belgis Theologis, in Sedem Apoſtolicam obſervantiſſimis. Sed eadem Sedes judicet, an hæc, *Je ne doute nullement, que ſi nos Prelats ne ſont pas écoutez a Rome, ils ne ſe faſſent juſtice eux mémes*, ſimillima non ſint iis, quæ tum in *Repetitione* ſua aliquando debacchatus fuit, tum in hoc *ſpecimine* iterum debacchatur Accuſator

Kal. Martii 1695. palam in Lectione monuit Auditores ſuos, *ne mirarentur, ſi ipſe in poſterum animoſius inter docendum propugnaret Doctrinam communem Scholæ & Eccleſiæ contra quorundam paradoxa præcipuè circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Rationem fore, quod jam revocato Deputato Epiſcoporum, qui Romæ urgebat controverſiarum deciſionem, non amplius expectaretur talis deciſio:* Idemque monuit poſtridie ſcripto publico, quod *Repetitionem* vocat. Quid, quæſo, hoc eſt aliud, quam apertè dicere: Dum Roma mihi non adminiſtrat juſtitiam, adminiſtrabo ego mihi ipſe?

Verum apertius in hoc Specimine. *Quid*, inquit, *nobis reſtat, niſi ut Roma ... vel nos condemnet, vel (quod idem eſt) ipſos indemnatos in Capitibus, ſuper quibus eos accuſamus, ſinat? Sed quid*

quid igitur? Manum tollemus de tabula? Planè .... Alia est medicina, domestica, & non tam procul repetenda; quæ utinam jam ab initio adhibita fuisset! Neque nos tantum laboris & impensæ, neque Roma ipsa tantum molestiæ pertulisset. Hæc ut minus æquiparanda sunt debacchationibus istis gallicis: *Je ne doute nullement, que si nos Prelats ne sont pas écoutez à Rome, ils se fassent justice eux mêmes &c.*

SPECIMEN.

Hoc est: potius Cælum terræ misceatur, & fractus illabatur Orbis, quam non vindicemus nos de hostibus tam profanis.

ANIMADVERSIO.

Hoc *scholion* subnectit Accusator illi parti Epistolæ, quâ dixerat Abbas, omittendam non esse ab Episcopis Galliæ condemnationem libri Sfondrati, etsi id absque magno strepitu & multarum disceptationum resuscitatione fieri non posset.

An vindicandi animo id dixerit Abbas, ipse, si vult, pro se poterit Accusatori respondere. Quod ad nos attinet, Accusatorem coram Sede Apostolica aut quovis judice legitimo provocamus, ut probet calumnias, quas nobis affingit, aut eas recantet. Atque imprimis hanc, quod adeo simus vindictæ cupidi, ut potius Cælum terræ misceri, & fractum illabi orbem velimus, quam non vindicemus nos de hostibus tam profanis, ut est Sfondratus.

Nolumus nos occulta cordis, quod facit Accusator, scrutari; sed non rarò contingere solet, ut ex affectibus propriis metiamur alienos, juxta illud: *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Eccle. 10. Securi autem Orbis judicio relinquemus, nobisne potius an Accusatori conveniat hic impetus: *Potius Cælum terræ misceatur, & fractus illabatur Orbis, quam non vindicemus nos de hostibus tam profanis.*

SPECIMEN.

Roma apud aliquos nuper MASSILIA *erat (meminerunt omnes Clavis inventæ non procul Aldenarda) hoc est Semipelagianorum Augusta & Metropolis.*

ANIMADVERSIO.

In eadem Clavi *Molinistæ* per anti-phrasim *Jansenistæ*, & vicissim *Jansenistæ* dicebantur *Molinistæ*. Quidni per Anti-phrasim *Ro-*

ma dicta fuerit *Massilia* pro *Hippone*, Patriâ S. Augustini? Quamquam ad nos nihil Clavis ista, quæ privatorum fuit, nec communi consilio fabricata.

Ad manum mihi est alia *clavis*, ipsius Accusatoris manu scripta, sed quam occultare malo, quam prodere: adeò ridicula sunt nomina quæ Viris etiam summis illic affinguntur. Unum tamen prodere liceat, nimirùm quod quæstio *de facto & sensu Authoris* in ea vocetur *Contractus mohatra, d'oude Koy*, quod aliis verbis dici solet, *crambe recocta*. O quanta nobis indè, si sic loqueremur, conflaretur invidia!

SPECIMEN.

Nunc tandem quam eam vocabimus? ECLANUM *fortè, Juliani Episcopi Pelagiani civitatem, adeoque Pelagianorum Arcem?* (*Nam Pelagii & Cælestii ego Urbes ignoro*) *At plusquam Pelagianismus est, qui illic nidum construxit*; ce Livre plus que Pelagien parût avec l'Approbation des Romains.

ANIMADVERSIO.

Nos eam vocamus *Sedem Petri, Omnium Ecclesiarum Matrem ac Magistram, Doctrinæ S. Augustini de gratia adversus Pelagianos Propugnatricem invictam;* quam nullus privatorum vel in media Urbe commorantium error, ut foret plusquam pelagianus, possit inficere.

SPECIMEN.

Satius jam erat Arausionem confugere, quam Epistola mox pro Roma inclamat: Nos Conciles d'Orange &c.

ANIMADVERSIO.

Si Arausionem (ad Hæreticos) confugit, eamque pro *Roma* inclamet, qui citat Concilia Arausicana: Quidni Constantinopolim (ad Turcas) confugere dicatur, eamque pro Roma inclamare qui citat Concilia Constantinopolitana? Quidni Corinthum, qui Epistolas ad Corinthios? Quidni Ephesum, qui Epistolam ad Ephesios? Quidni Philippos, qui Epistolam ad Philippenses? &c. Hæccine *Scholia* digna sunt Theologo? Nisi fortè digna sint illo, qui Scripturas & Concilia non citat; speratque ea se, dum citantur ab aliis, posse acumine tam miserabili eludere, aut certè ab iis citandis eos deterrere.

SPECIMEN.

Et revera nescio qui locus hos tam Romæ infestos potius nunc ex-

excipiat, quàm ille nuper veteri redditus schismati contra Romam. Adoranda Providentia Dei est, quæ permisit has voces factioni, alia omnia Romæ simulanti, hîc excidere.

ANIMADVERSIO.

Indulgeri poterat homini acuto, ut delectaretur paulisper acumine, quod tam argutulè sibi invenisse videbatur: sed indulgeri non debet, ut in acumine tam inepto fundet accusationem hæreseos & schismatis: fundat tamen Vir acutissimus. Nam præmisso, saltem implicitè, hoc ratiocinio: "Citant Concilia Arausicana; Igitur A-„rausionem confugiunt, eamque pro Roma inclamant;" quasi dialecticè rem confecisset, & jam nos de hæresi & schismate convicisset, plaudit sibi hoc Epiphonemate: *Et revera nescio qui locus hos tam Romæ infestos potiùs nunc excipiat, quàm ille nuper veteri redditus schismati contra Romam.* Quin & admiratur Dei providentiam, quæ permiserit eas voces factioni illi excidere. Latuisset scilicet & occultè per Ecclesiam serpsisset illorum Hæresis & schisma, nisi Concilia Arausicana citassent. Porrò ne dubium ullum relinquat, qui sint hæretici & schismatici hi tam Romæ infesti, *Factionem* eos appellat, *alia omnia Romæ simulantem*: Theologos scilicet Belgas, qui debitam Sedi Apostolicæ reverentiam & obedientiam per Deputatum suum Doctorem Hennebel Romæ profitentur.

SPECIMEN.

Hic tandem plenè se aperit Mysterium iniquitatis; dispositio, inquam, in quâ decisiones Romanas expectant hi homines.

ANIMADVERSIO.

Non solùm Abbas ille scriptor Epistolæ, *sed hi homines*, non alio nomine ab Accusatore, viro tanto, dignandi. Verùm eam facilè injuriam donamus: sed tolerandum non est, quòd iisdem hominibus Epistolam ac dispositionem nescio cujus Abbatis iniquissimè adscribat.

SPECIMEN.

Singula perpendamus. L'on commençoit aussi bien en France &c. *Nimirum faverat istis Roma ad invidiam.*

ANIMADVERSIO.

Vel faverat justè vel injustè. Si justè; quid queritur? Si dicat fa-

visse injustè ; quis ferat tantam in Sedem Apostolicam contumeliam ?

SPECIMEN.

Omnia ipsis contraria passim proscripserat.

ANIMADVERSIO.

Malam certè causam habuisse oportet Adversarios nostros, dum vel ipso Accusatore fatente, *omnia* quæ ediderant *nobis contraria* Roma *passim proscripserat.* Nisi fortè malit de injustitia condemnare Romam proscribentem, quàm de mala scriptione Auctores proscriptos.

SPECIMEN.

Nihil penè quod ipsorum esset aut putaretur.

ANIMADVERSIO.

Mirum si hic tacitè non insinuetur, corruptam à nobis fuisse Aulam Romanam pecuniis ; atque ita effectum, ut nihil pene quod nostrum esset aut putaretur, Roma condemnaret. Adhuc enim in quorumdam cerebro hæret fabula de septuaginta quinque florenorum millibus, de stanno Anglico, de tela Cameracensi, aliisque muneribus ejusmodi, Doctori Hennebel è Belgio missis, ad Eminentissimos Sacræ Congregationis Cardinales in partes suas trahendos: hæretque eò tenacius, quod R. P. FRANCOIS, fabulæ istius divulgator Româ redux, non malè se illic habitum fuisse jactet, nihiloque modestior sit quàm priùs, etiam post thesim ipsius Romæ condemnatam.

SPECIMEN.

Quos ipsi voluerant, ad Urbem gravissimo imperio evocati erant.

ANIMADVERSIO.

Mandatum tamen istud nescio quibus prætextibus elusit Accusator. Qui enim prius, dum credebat adversariis suis vel animos defuturos vel nummos quibus Legationem Romanam suciperent, non semel eos provocaverat, & *in nomine Domini* palam obtestatus fuerat, *eamus Romam*; qui gloriatus fuerat in Epistola sua prima, *paratum se esse vel solum, vel addito ex illis socio legationem istam ultrò obire;* qui jam profectionis suæ diem palam edixerat: is, ubi vidit Hennebellum jam non verbis sed re iter aggredi, nihil non movit

apud

apud Poteſtatem ſæcularem, ut impedimentum illi objiceret. Verum nihil profecit, niſi ut Majeſtas ſua Catholica per litteras datas 2. Novemb. 1692. Academiæ Lovanienſi mandaret, *ut cum jam Doctor Hennebel in Urbem diſceſſiſſet, conaretur etiam omnibus quibus poſſet, viribus perſuadere Doctori Steyaert, ut ſine mora idem iter ſuſpiceret, concurreretque ad negotii tam magni* (controverſiarum ſcilicet Belgicarum) deciſionem. Non minus fortè etiam urgebat Roma, quæ jam pridem utriuſque partis Deputationem gratam ſuæ Sanctitati fore ſignificaverat. *At graviſſimum*, ut vocat, *imperium*, quæſito effugio, declinare maluit, quam ſuſcepto itinere implere.

SPECIMEN.

Brevia *quædam, ut vocant*, & Decreta *obtinuerant, quæ ipſi interpretabantur favere ſibi.*

ANIMADVERSIO.

Brevia & Decreta Apoſtolica, quæ obtinuimus, in ſenſu obvio recepimus, nec adjecimus interpretationem ullam, quâ ea in favorem noſtrum contortè traheremus.

Ipſe hujus criminis non ſemel reus eſt Accuſator. Nam primum quidem Breve Apoſtolicum in favorem ſuum interpretari conatus eſt per *Programma*, quod non multò poſt Sedes Apoſtolica ſuppreſſit: Alterum verò rurſus ad ſenſum ſuum torquere ſtuduit per *Decretum circa uſum Formularii*, ſuper quo adhuc Sedis Apoſtolicæ ſententi am expectamus.

SPECIMEN.

Igitur l'on commencoit auſſi bien en France que dans les autres Royaumes, à regarder les Theologiens de Rome & ſes Tribunaux comme *&c. Jam hi noſtri Apologias pro Romanis edere cæperant.*

ANIMADVERSIO.

Librum, credo, intelligit qui inſcribitur: *Defenſe de deux Brefs... contre le Docteur Martin Steyaert*, ubi duo Brevia Apoſtolica adverſus ipſum vindicantur. Benè an malè ea vindicaverit libri Author, Sedes Apoſtolica judicabit: ſecurus interim eſſe poteſt, ſi nihil objiciatur præter *Declamationem* Feſtivam, quâ nuper luſit quidem Accuſator, ſed argumentorum vim, quæ nè attigit quidem, minimè eluſit. Nos ſententiam Sedis Apoſtolicæ tranquilli expectamus.

SPECIMEN.

Et jam fere iis reſtituerant Infallibilitatem à ſemet aliquando ipſis male ademptam.

ANIMADVERSIO.

Oſtendat Accuſator, ubi infallibilitatem aliquando Romanis ad emerimus; vel temerarium ſe Accuſatorem agnoſcat.

Ab ipſo potius metuendum eſt, ne Infallibilitatem Romæ adimere incipiat, quam aliquando illi tribuerat. Quid enim non metuas ab homine, qui ſic loquitur: *Nimirum faverat iſtis Roma ad invidiam. Omnia ipſis contraria paſſim proſcripſerat* &c. Si enim favore putet Res Romæ decidi; profectò non putat decidi infallibiliter.

SPECIMEN.

Cum ecce ingenti malo ſuo eadem Roma damnatis Baii operibus, appoſuit ut & approbaret, nec poſtea improbare vellet, librum SFONDRATI.

ANIMADVERSIO.

Inſignis impoſtura, quod Roma approbârit librum SFONDRATI.

SPECIMEN.

O nimirum Romani! Currebatis bene: jam judicia veſtra ſine diſcrimine recipienda erant ab omnibus etiam prætenſis Janſeniſtis. Nunc autem audite ſententiam veſtram qui de Orbe Catholico judicare ſolebatis: Leurs jugement & leurs Cenſures ſe doivent recevoir avec ce diſcernement, , que ſi elles appuyent la verité & la Juſtice, on en doit faire cas : mais &c.

ANIMADVERSIO·

Iniquè hæc in nos Accuſator. Quo animo fuimus erga Romam ante damnata Opera Baii & editum librum Sfondrati, eo ſumus etiamnum: ſed non item animus ipſius conſtat ſibi. Antè ſuſceptam ab Hennebello in Urbem Legationem, *In nomine Domini* obteſtabatur, *eamus Romam*: nunc verò, ubi dicit *favere nobis Romam ad invidiam; omnia nobis contraria paſſim proſcribere* &c. " Utinam, inquit, alia medicina domeſtica & non tam procul re- "petenda ab initio adhibita fuiſſet!" Sed de hoc poſtea.

SPECIMEN.

Quid verò nunc amplius fatigamus aures Romanas? Quid finem inde controversiarum nostrarum expectamus? Quid etiam Romanos ipsos accusamus, quod non citiùs illum imposuerint? Noverunt utique prudentissimi juxta ac Eminentissimi Patres ingenium hominum quibuscum nobis res est: sciunt non acquieturos, nisi decisioni quam petierint ipsi.

ANIMADVERSIO.

Nòn minus falso hæc de Eminentissimis Patribus, quam injuriosè de nobis finguntur.

Falsum est, nolle Eminentissimos Patres controversias nostras decidere: Quippè qui jam deciderint partem Controversiarum non minimam de Formulario, & discutiendis iis, quæ adhuc supersunt de administratione Sacramentorum, *magna sollicitudine* juxta Breve Apostolicum allaborent.

Nec minus falsum nobisque injuriosum est, ideò nolle Eminentissimos Patres controversias nostras decidere, quod *sciant nos non acquieturos, nisi decisioni, quam petierimus ipsi.* Sciunt nos acquievisse Decreto SS. D. N. Innocentii P. XII. dato 28. Jan. 1694. Sciunt nos acquievisse Primo Brevi Apostolico dato eodem anno die 6. Februarii. Sciunt nos acquievisse Alteri Brevi dato 24. Novembris 1696. Quid aliud ex his omnibus colligere possint, nisi & deinceps nos eadem animi dimissione acquieturos decisioni, quam fecerint?

Verum non ita fortasse sentient de Accusatore. Sciunt ipsum non acquievisse Primo Brevi Apostolico, quo Additiones ad Formularium rejectæ sunt, sed mox eum conatum fuisse per Programma suum easdem Additiones restituere. Sciunt eum, post suppressum à Sede Apostolica Programma, de eodem Brevi apud Sedem Apostolicam questum esse, quasi satis aptum non esset ad remedium efficax malis afferendum. Sciunt illum nec acquievisse Brevi secundo; sed per duo Decreta, alterum *circa usum formularii*, alterum *circa administrationem Sacramentorum*, pendentes coram Sede Apostolica controversias pro seipso & per se ipsum decidere tentasse.

Statuatur nunc, nostrumne potius an Accusatoris *ingenium sit, non acquiescere nisi decisioni quam petierimus ipsi.*

SPECIMEN.

Frustra aliquem Romæ protestari de submissione, quæ ne in illius quidem est potestate.

ANIMADVERSIO.

Non tantum in Urbe de submissione sua protestatur Doctor Hennebel: sed & scripto nominatim exhibet submissionem præcipuorum Theologorum Belgii, tum intra tum extra Lovanium, quorum causam agit. Quæ protestatio si frustra sit, nescio profectò quæ certior excogitari possit.

Et fieri quidem posset, ut è Theologis illis aliquis non præstaret postea submissionem, quam nunc promittit; neque in potestate Doctoris Hennebel est efficere ut omnes eam præstent: sed non propterea frustra aut de sua submissione ipse protestatur, aut aliorum submissionem exhibet. Sufficit Eminentissimis ea certitudo quæ in hac vita haberi potest, & ex qua in rebus tanti momenti procedi solet: Eam autem certitudinem de Theologis illis habent Eminentissimi, postquam jam toties tamque constanter eorum submissionem experti sint.

Porrò si majorem exigat Accusator; sciat & se frustra Romæ de submissione protestari: cum nec ipse de se securus esse possit, nec in ipsius potestate sit aliorum, qui ipsi adhærent, submissio.

Et quid, quod nec ea de ipso certitudo sit, quæ de nobis?

Nos primum Breve Apostolicum in sensu obvio, sine interpretatione, cum submissione recepimus: Ille conatus est illud per *Programma* ad suum sensum detorquere.

Nos credidimus illud sufficere ad extinguenda in Belgio Theologorum circa Jansenismum dissidia: Ille, non sufficere parum reverenter questus est apud Suam Sanctitatem.

Nos *Breve alterum* eâdem, quâ primum, submissione recepimus: Ille ut primum ad sensum suum detorserat per Programma, ita & hoc detorquere conatus est per Decretum *circa usum Formularii.*

Nos adhuc Deputatum habemus apud S. Sedem: Ille suum jam pridem ab Urbe revocavit.

Nos à Sede Apostolica controversiarum decisionem etiamnum postulamus & expectamus: Ille, revocato jam Duputato suo, nec eam amplius se postulare nec expectare significat; postquam scilicet eas ipse duobus Decretis decidit.

Nos

Nos Romam de favore non accusavimus: Ille, favisse nobis Romam ad invidiam, scribit palam.

Nos judiciis Romanis circa libros latis acquievimus: Ille Romæ exprobrat, quod *omnia nobis contraria passim proscripserit, nihil penè quod nostrum esset aut putaretur.*

Nos numquam Legationis Romanæ pœnituit: Ille optat, ut ab initio adhibita fuisset alia medicina domestica & non tam procul repetenda, simulque tot nummis ac laboribus parcitum fuisset &c.

Statuat nunc Roma, potiusne nos *frustra*, an ipse, de submissione protestetur.

SPECIMEN.

Submittat se is in Urbe quantum voluerit: expectamusne secuturam fraternitatem quæ in Gallia, quæ in Hollandia, aut alibi in dispersione est?

ANIMADVERSIO.

Theologorum Belgii Catholici, qui de Jansenismo & Rigorismo accusantur, Deputatus est Doctor *Hennebel*; hos petit aut condemnari, si Rei sint, aut absolvi, si Innocentes; de horum submissione protestatur; de his Romæ quæstio est: De aliis vero, qui in Gallia, qui in Hollandia, aut alibi in dispersione sunt, eodemque cum illis nomine censentur, nihil mandatum est Hennebello. Quamquam (si quid conjicere liceat ex promptitudine, quâ Utrumque Breve Apostolicum receperunt) ab his etiam submissio speranda sit.

A Fraternitate verò Accusatoris, non tantùm quæ in Gallia, quæ in Hollandia, aut alibi in dispersione, sed & quæ domi & in Belgio Catholico est, quid expectandum sit, statuent illi qui norunt, quâ animi ægritudine eadem Brevia aut susceperint, aut se suscipere paulisper simalârint.

SPECIMEN

Fac ex. gr. damnare Romanos hoc ipsorum placitum, in quo plures verti existimant cardinem, non solum controversiarum nostrarum, sed & fidei Catholicæ: Ecclesia non est infallibilis in judicando, Quis sit sensus obvius & naturalis alicujus propositionis; *putasne illos se submissuros? Quis tam hospes rerum nostrarum ut credat?*

ANIMADVERSIO.

Periculum faciat Roma; nec umquam, spero, deprehendet aliquid nos adversus debitam Sedi Apostolicæ reverentiam ac obedientiam

commissuros. Sed fac damnare Romanos hoc placitum Accusatoris: *Ecclesia est infallibilis in judicando, Quis sit sensus obvius & naturalis alicujus propositionis*, putasne illum se submissurum? Quis credat, nisi qui *specimen Dispositionis* ab ipso editum non viderit? Qui autem viderit, quid credet, nisi eum dicturum quod jam dixit: *Nimirum Roma istis faverat ad invidiam, omnia ipsis contraria passim proscripserat, nihil penè quod ipsorum esset aut putaretur.* Præclara submissio,

SPECIMEN.

Certè cautiores fuêre Romani ipsi, qui nihil tale huc usque tentare ausi sunt.

ANIMADVERSIO.

Insinuare videtur Accusator, jam apud Romanos certam esse illius propositionis condemnationem, sed cautelâ quâdam politicâ non pronuntiatam. Falsa sunt hæc. Propositionem illam, saltem implicitè, tradunt Bellarminus, Baronius, aliique Sedi Apostolicæ devotissimi, cum Theologis passim omnibus, quorum doctrinam Roma non facilè condemnaverit. Tentavit nuper per CONSULTATIONEM quamdam Accusator in partes suas trahere Illustrissimum Episcopum Atrebatensem, cujus contra DELCURTIUM Decretum sic interpretabatur, ac si propositionem istam condemnasset: Verum CONSULTATIONI isti responsum est per scriptum cui titulus, *Lettre d'un Theologien de Douai* &c. solidèque ostensum, non solum non voluisse Illustrissimum Atrebatensem propositionem illam condemnare, utpotè præstantissimorum quorumque Theologorum doctrinam; sed etiam in periculum adduci ipsam infallibilitatem Ecclesiæ in fide & moribus, si propositio ista negetur: adeò ab ea Infallibilitati Ecclesiæ metuendum non esse. Respondeat scripto illi Accusator, priusquam Accusationem veterem prosequatur, aut novam instituat.

SPECIMEN.

Imo nec de propria sua, seu S. Sedis infallibilitate, quam tenuerant hactenus, consultum duxerunt instituere quæstionem (vel permittere etiam ut quisquam institueret vel saltem attingeret), dum ad ipsos venerunt Deputati è Belgio.

ANIMADVERSIO.

Si verum sit, id non permisisse Romanos; justissimis de causis non

non permisère. Nostrum non est eorum consilia scrutari: quæ dum scrutatur Accusator, nescio de quâ Politica Romam accusat.

SPECIMEN.

In ludo dicunt esse injustitiam, si qui perdere nequit, lucrari speret.

ANIMADVERSIO.

Proverbium hoc temerè affingit Romanis Accusator.

SPECIMEN.

Nobis certè qui hos homines accusamus, nihil lucrandum est.

ANIMADVERSIO.

Nihil vobis lucrandum est accusationem vestram prosequendo; sed perdendum potiùs id quod accusando lucrati fuistis. Siquidem accusando id lucrati estis, ut dum alios de Jansenismo suspectos fecistis, beneficia passim omnia, officia, & dignitates ipsis præripueritis: Accusationem verò vestram prosequendo non aliud consequi possetis, quàm ut cogeremini probare quæ dicitis: Ubi autem deficeretis in probando; infamiam aliasque pœnas Canonicas in caput vestrum provocaretis. Nihil ergo vobis lucrandum est amplius.

SPECIMEN.

Roma novit se illos damnando, nihilum promoturam, nisi ut dicteriis incessatur & probris.

ANIMADVERSIO.

Jam nostram Roma modestiam multis argumentis perspectam testatamque habet: modestiam verò Accusatoris ex hoc *Specimine* cognoscet. Quid enim post tot labores apud ipsum Roma promovit, nisi ut ab ipso audiat hæc & similia: *Roma istis faverat ad invidiam. Omnia ipsis contraria passim proscripserat, nihilpenè quod ipsorum esset aut putaretur. Quid ergo nobis restat, nisi ut Roma, quæ nihil inutiliter facere affectat, vel nos condemnet, vel (quod idem est) ipsos indemnatos in Capitibus super quibus eos accusamus, sinat? Sed quid igitur? Manum tollemus de tabula? Plane. Alia est medicina domestica, non tam procul repetenda; quæ utinam ab initio fuisset adhibita! Neque nos tantum laboris*

& impensæ neque Roma tantum molestiæ pertulisset... Ad principium redeundum est, unde non sine errore digressio facta fuit... Planè adhuc ea via aperta est, magna utique & evidens &c. Judicet Roma, an hoc non sit ipsam dicteriis & probris incessere.

SPECIMEN.

"Leurs Censures se doivent recevoir avec ce discernement, que „si elles appuyent la verité & la justice (*Veritas autem & justitia „semper est ex parte illorum, proprio quidem ipsorum judicio*) „on en doit faire cas: mais si elles ne servent ni a l'une ni à l'au„tre, ou quelles leur soient même contraires; on ne les doit con„siderer, que comme de Decrets donnez par surprise, & où les in„intrigues, le caprice & l'ignorance ont eu plus de part, que la „connoissance & l'amour de la verité."

ANIMADVERSIO.

Quantò hæc in Decreta Sedis Apostolicæ graviora sunt, tantò nobis affinguntur injuriosius. Negamus ea à nobis scripta umquam fuisse, vel nobis scientibus scripta ab alio. Criminationem ergo probet Accusator, aut recantet.

Quod interserit, *Veritas & justitia semper est ex parte illorum, proprio quidem ipsorum judicio*, nova injuria est, probanda itidem aut recantanda. Cæterum quàm bene in ipsum quadrent quæ hîc nobis affingit, statuatur ex sequenti specimine.

SPECIMEN.

Quid ergo nobis restat, ni fiat Roma, quæ nihil inutiliter facere affectat, vel nos condemnet, vel (quod idem est) ipsos indemnatos in capitibus, super quibus eos accusamus, sinat?

ANIMADVERSIO.

Hoc est: "Cum ergo in ferendis judiciis *lucrari* & *nihil inuti„liter facere affectet*, eos condemnans, quos novit suæ condem„nationi acquieturos, eos verò indemnatos relinquens à quibus „timet ne *dicteriis incessatur & probris;* Quid nobis restat, ni„si ut vel nos condemnet, qui etiam innocentes nostræ condem„nationi acquiescemus; vel (quod idem est) ipsos, etsi reos, in„demnatos sinat, qui Romam dicteriis & probris incessērent?"

Decerni velim, an hæc meliora sint iis, quæ paulò ante redarguit in Abbatis Epistola: *Leurs Censures se doivent recevoir avec ce dis-*

discernement &c.? si enim politicè credat Romæ homines vel condemnari vel indemnatos relinqui; quomodò credit sine discrimine Romanas Censuras recipiendas? Aut si sic recipiendas credat, quomodo credit Romæ homines politicè judicari?

Ut ut sit, hoc Accusatori persuasum est, Romam eos indemnatos relinquere, à quibus timet dicteriis incessi & probris. Atque hinc non mirum, quod tot in Romam dicteriis & probris scateat ipsius *Specimen:* Credit scilicet aliam viam non esse, quâ post tot calumnias Innocentibus afflictas & numquam probatas aut probandas, imminentem Capiti suo ab Urbe sententiam possit avertere.

SPECIMEN.

Sed quid igitur manum tollemus de tabula? Plane.

ANIMADVERSIO.

Nimirum, vale Roma, dum non faves nobis, istis autem *faves ad invidiam:* dum *omnia ipsis contraria passim proscribis; nihil autem pene quod ipsorum sit aut esse putatur:* Vale, inquam, Roma, & ultimum hoc à nobis *Specimen* habe; *Dispositionis* Adversariorum nostrorum, si credere vis, aut, si non vis, *Dispositionis* saltem nostræ testem luculentum.

SPECIMEN.

Primum multa sanat tempus quæ alium non admittunt Æsculapium. Sic sub Alexandro P. VIII. *sanata sunt supra* XXX. *vulnera, quæ antea medicinam non nisi inchoatam invenerant.*

ANIMADVERSIO.

Expectat scilicet Accusator, venturum aliquando Pontificem, qui (si cum ipso loqui fas sit) *ad invidiam faveat* ipsi, sicut nunc *ad invidiam favet nobis* SS. D. N. Innocentius XII. qui *omnia ipsi contraria passim proscribat, nihil pene quod ipsius sit aut esse putatur.* Tunc accusationes suas instaurabit, qui nunc manum tollit de tabula: tunc Decisionem Romanam urgebit, qui nunc domesticam adhibet. Sic enim prosequitur nihil dissimulans.

SPECIMEN.

Deinde alia est medicina, domestica, & non tam procul repetenda; quæ utinam jam ab initio fuisset adhibita!

ANIMADVERSIO.

Hic se prodit egregia Accusatoris erga Sedem Apostolicam reverentia. Dum Romæ non obtinet decisionem quam petit ipse, minatur se decisionem domesticam adhibiturum, hoc est, contra ipsam Romam abusurum potestate suâ Vicariali, quam Roma ipsi concessit. Quin & ipsum pœnitet quod Sedem Apostolicam eo honore dignatus fuerit, ut ab ea Decisionem peteret; ideoque non sine dolore ingemiscit: *Utinam ab initio fuisset adhibita!*

SPECIMEN.

Neque nos tantum laboris & impensæ, neque Roma ipsa tantum molestiæ pertulisset. Sed de hoc citò infra.

ANIMADVERSIO.

Vilis & abjecti animi est, de labore & impensa queri, ubi pro veritate ferenda & impendenda sunt omnia. Mirum etiam, Viros tot tamque potentes, tantillum conferre aut non velle aut non posse, ut Deputationem suam ad finem perducant: ubi alii pauciores & minus potentes, strenuè causam veritatis per Deputatum suum prosequi decernunt. Romam certè molestiæ non tædet, quæ post indefessos annorum quinque labores etiamnum discussioni propositionum, quæ delatæ sunt, magnâ sollicitudine incumbit, & præfixo Accusatoribus nostris termino peremptorio, parat negotio illi finem imponere.

SPECIMEN.

Notandum interim, imo horrendum, quid foret de Rep. Christiana, si omnes exemplo horum hominum, quos vident Romæ non usque adeo fastidiri, induerent hunc animum, ut censuras seu judicia Romana non admitterent, nisi cum hoc discrimine: Avec ce discernement, que si elles appuyent la verité & la justice &c. *hoc est, unusquisque juxta votum suum; nam nemo non putat, se veritate niti & justitia.*

ANIMADVERSIO.

Horum hominum, quos vident Romæ non usque adeo fastidiri. Non obscura in Romanos exprobratio est; sed nobis minimè probrosa, quos fateatur Romæ *non usque adeò fastidiri.*

Quod verò addit, *induere nos hunc animum, ut Censuras seu judicia Romana non admittamus, nisi cum hoc discrimine:* Que si-

si elles appuyent la verité & la justice &c. *hoc est, unusquisque juxta votum nostrum*, id per summam calumniam nobis affingit.

An ipse eum animum non induerit, statuatur ex uno hoc quod subjungo specimine.

Induxerat in animum suum, *Additiones* famosas ad formularium Alexandri VII. veritate niti & justitia. Additiones illas rejecit Sedes Apostolica in Brevi ad Episcopos Belgii dato 6. Feb. 1694. Sed Breve non recepit Accusator, nisi juxta programma suum, quo Breve Apostolicum juxta Additiones illas, mox ut ex Urbe acceptum erat, interpretabatur. Alterum Breve misit sua Sanctitas die 24. Novembris 1696. quo priori Brevi se insistere significabat: sed iterum istud juxta sensum *Additionum*, licet paulò artificiosius, interpretatus est Accusator per *Decretum* suum *circa usum Formularii*. Nimirum Brevia Apostolica non recipit nisi cum hoc discrimine: *Avec ce discernement, que si elles appuyent la verité & la justice* &c. hoc est, juxta sensum suum, quem putat veritate niti & justitiâ.

SPECIMEN.

Non jam decisionibus Romanis credent, sed sibi ipsis, dum è decisionibus illis non recipient, nisi quod præconceperint verum & bonum esse; uti olim S. Augustinus de iis aiebat, qui de Scripturis nonnisi quod ipsis collibitum erat, recipiebant.

ANIMADVERSIO.

Ita est: sed an in nos, an in Accusatorem nostrum ea quadrent, jam ostensum est.

SPECIMEN.

Sanè jam nunc cum indifferentia non mediocri videmus ista legi & audiri ab hominibus, cætera minimè malis, & qui paulò antè ab his & talibus abhorruissent maximoperè,

ANIMADVERSIO.

A nullo, quod sciam, vidi Epistolam illam Abbatis Le B. legi vel audiri cum ejusmodi indifferentia; gratisque id dici ab Accusatore ad commovendos Romanorum animos, planè puto. Irreverentiam in Sedem Apostolicam notant in ea omnes. Quin post vulgatam in *Litteris Historicis* istam Epistolam, alia edita fuit hoc titulo: *La veritable Lettre de M. l'Abbé de Bossu à un de ses Amis sur le Livre du Cardinal Sfondrate* &c. Ubi Abbas ille in *Monito ad lectorem*, dicit se summopere obstupuisse dum legendo *Litteras*

 Histo-

Historicas mensis Martii 1698. invênit illic quamdam *Epistolam Abbatis Le B.* quam quidem suam esse quoad substantiam non negat, sed dicit in ea pluribus locis sibi affictum esse modum loquendi exorbitantem, quem non probat; ideóque se hanc Epistolæ suæ veræ copiam concedere, & consentire, ut si Ecclesiæ utilis esse possit, in lucem edatur. Hæc si ipse *Abbas Le Bossu*; nescio profectò, quinam sint homines isti, cætera minimè mali, à quibus Epistolam Abbatis cùm indifferentia non mediocri legi vel audiri dicit Accusator.

SPECIMEN.

Hoc erat quod desiderabatur ad nequitiæ cumulum: Ce n'est plus une nôte d'infamie, mais plutôt une marque d'honneur, quand un livre, qui enseigne des verités qu'ils ne connoissent (*les Romains*) ou qu'ils n'aiment pas, se trouve dans la feuille des livres deffendus: *Jam non solum dedecori non est, sed etiam gloriæ, Censuram Romanam incurrisse, si putas librum tuum veritates continere, quas Romani Judices vel non cognoscant vel non ament: Hoc iterùm dumtaxat utrique partium persuasum sit; & feriari licebit Romanis à Censuris, & disciplina Catholici Orbis pessum ierit.*

ANIMADVERSIO.

Aio ego: Hoc desiderabatur ad maledicentiæ cumulum, ut tam temerariè ac falsò adscriberet nobis id quod *malitiæ cumulum* appellat. Profectò, si jam non solum non dedecori, sed etiam gloriæ nobis duceremus Censuram Romanam incurrere; stultè pro avertenda à libris nostris, quos ipse accusat, Censura tantum laboris & impensæ tot jam annis subiremus. Nec minor stultitia foret laborare pro obtinenda Censura adversus scripta Accusatoris: cum non mediocriter stultus sit, qui Accusatori suo non nisi gloriam laborando accersat.

SPECIMEN.

Quis non me durius egisse existimet cum Adversariis meis, dum illis in fronte hujus scripti titulum adscribo DEFENSORUM JANSENII, BAII, ARNALDI, *&c. Atqui en ipsos se tales retectâ fronte profitentes:* Ainsi ni les Jansenius, ni les Baius, les Arnauds.... ni tant D'AUTRES Illustres Theologiens, qui ont écrit pour la deffense de la vraye Grace &c.

ANIMADVERSIO.

Tenemus Accusatorem, nè dicere possit se *Defensorem Jansenii,*

Baii, Arnaldi &c. non alium nuncupare quam Auctorem Epistolæ. Tales etiam hic apertè nuncupat *suos Adversarios:* Adversarios autem suos, & quidem antonomasticè, alios intelligere non potest, quam Belgas Theologos, quorum causam agit Doctor Hennebel in Urbe. Adjicit aliam calumniam non minus atrocem, *Quod ipsi se tales retectâ fronte profiteantur.*

Adversus hanc maledicentiam quem Judicem, nisi Sedem Apostolicam, imploremus? Vetuit illa, ne quisquam vagâ ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduceretur aut nuncuparetur, nisi legitimè suspectum esse constaret, aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse: Et ecce Accusator noster non solum nos istâ accusatione & nomine traducit ac nuncupat; verum etiam quod retectâ fronte nos *Jansenii defensores* profiteamur affirmat: non quod constet legitimè suspectos nos esse aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse, sed quod libeat ipsi temeritate incredibili affingere nobis Epistolam nescio cujus hominis, quocum nobis nullum umquam commercium intercessit.

Huic maledicendi licentiæ nisi finem ponat Sedes Apostolica, nunquam turbarum finis erit in Belgio. Si enim *Defensores Jansenii* continuò sint, quibus similem aliquam Epistolam adscribere voluerit Accusator; jam etsi Jansenistam nullum inveniat, Jansenistis tamen & Jansenii Defensoribus, quos ipse faciet, quoties voluerit, Belgium implebit.

SPECIMEN.

Malum, quod jam Orbi persuasum erat, non extare amplius in rerum natura JANSENISTAS *aut Baianos nisi* PRÆTENSOS.

ANIMADVERSIO.

Meritò Orbi persuasum est, & quidem per Breve Apostolicum, non extare amplius in Belgio *Jansenistas* nisi *prætensos:* An non nisi prætensi extent amplius *in rerum natura*, Romæ nondum discussum est. Satis fuit Belgis Theologis, seipsos à nota Jansenismi expurgasse: si alii per Orbem Theologi credant se eadem accusatione ac nomine falsò traduci ac nuncupari; habent Sedem Apostolicam, ad quam exemplo Theologorum Belgarum confugiant: eò facilius illic ab istâ calumnia liberandi sunt, quod apertâ jam per Breve Apostolicum viâ, nemo amplius sic traduci ac nuncupari possit, nisi legitimè suspectum esse constiterit, aliquam è quinque propositionibus docuisse aut tenuisse.

 Porrò

Porrò si in Belgio Jansenistæ deprehensi non sint, nisi *prætensi*: quid sequitur, nisi de calumniâ convictos esse Accusatores, qui veros in Belgio Jansenistas esse probare debuerant? Frustra verò nunc ad exteras Regiones ultra Belgium fugiunt, ut Jansenistam aliquem verum inveniant: Nam etsi illic invenirent, manent tamen convicti de calumnia, dum non invenerint in Belgio.

SPECIMEN.

Sed & aliud sequitur, quod, ubi cumulum nequitiæ antea posui, jam supercumulus ejusdem dici possit. Nequitia & superbia eorum qui te oderunt, *Sedes Roma Petri*, ascendit semper, *etiam te retribuente pro odio gratiam & indulgentiam. Primo Censuræ Romanæ non placentes, sperni debebant; neque aliter considerari*, que comme des Decrets donnez par surprise &c. *Postea honoris loco habendæ;* plutôt une marque d'honneur. *Quid supererat, nisi ut jam opprobrio foret, judicio Romano probari aut laudari:* Ils auroient honte d'être louez & approuvez par des gens &c.

ANIMADVERSIO.

Maledicentiæ cumulus erat, temerariè ac falsò adscribere nobis id quod nequitiæ cumulum vocabat Accusator: quid, nisi maledicentiæ supercumulum dicam, majori temeritate ac falsitate nequitiæ supercumulum, ut idem vocat, nobis affingere?

Jam supra Romæ suos in nos favores exprobraverat: hìc verò nostram pro tanta gratia ingratitudinem gravissimo affectu, sed graviori calumniâ, depromit, sic Romam affatus: " Nequitia & *super-* „ *bia eorum, qui te oderunt*, Sedes Roma Petri, *ascendit semper,* „ etiam te retribuente pro odio gratiam & indulgentiam. „ Tu *favisti* Theologis istis Belgis *ad invidiam; Tu omnia ipsis contraria passim proscripsisti; Tu nihil penè proscripsisti quod ipsorum esset aut putaretur:* Ipsi verò nequam & superbi oderunt te; nec oderunt solum, sed & nequitia & *superbia eorum ascendit semper*: Primùm, *Censuras tuas spernunt*; Deindè, *honoris loco eas habent; Tandem opprobrio sibi ducunt, judicio tuo probari aut laudari.*

Quid detur tibi (exclamabat olim Accusator) *aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*? Idem nobis exclamare liceat, decernatque ipsum inter & nos Sedes Roma Petri, An ipse ad supercumulum maledicentiæ, an nos ad supercumulum nequitiæ, & tantum superbiæ contra Romam gradum ascenderimus.

SPECIMEN.

Satis est, Abba, satis est: fecisti satis & nimis, ut agnoscamus tuam tuorumque dispositionem ad recipiendas, si quæ venerint, decisiones S. Sedis in controversiis nostris hodiernis.

ANIMADVERSIO.

Fecisti & tu, Accusator, satis, & nimis fecisti, ut agnoscamus tuam in accusando temeritatem & injustitiam.

SPECIMEN.

Si vobis placuerint, extolletis illas ultra cælos: si contra vel infra desiderium vestrum fuerint; tum verò omnibus diris devovebitis & eas & quotquot iis causam dederint. Tumultuabimini, furetis, insanietis.

ANIMADVERSIO.

Prophetis, dum futura prædicunt, sic tumultuantibus, furentibus, insanientibus, non creditur.

SPECIMEN.

Cardinales ipsos S. R. E. eorumque præcipuos inducetis, uti illis contradicentes, sic fecistis in condemnatione Prop. XXXI. sub Alexandro VIII. Mundus capere non poterit qui per vos scribillandi sunt libros & libellos famosos. Hæc via vestra scandalum toti mundo.

ANIMADVERSIO.

Contigit die 31. Maii proximè elapsi in Disputatione Sabbatinâ, ut cum Theologus quidam, vix mensium quinque, Accusatorem ex suo ipsius *specimine* oppugnaret, ostenderetque eum paratum non esse *attentissimè ab Ecclesia Romana discere*; hic pro solutione (cum alia non suppeteret) afferret istam, jactatam toties, & nunquam probatam, de libellis famosis calumniam. Instabat Theologus iterum iterumque, ut vel unius libelli famosi titulum designaret: sed designavit nullum, & coram frequenti Theologorum cœtu palam obmutuit.

Theologi istius exemplo pariter flagitamus ut vel unum libellum famosum designet Accusator, quem à nobis scriptum esse probet: Quod si non fecerit, temerariæ & injustæ Accusationis reum se esse sciat, & nos deinceps de libellis famosis accusare desinat.

SPECIMEN.

Quis eo pretio velit has decisiones?

ANIMADVERSIO.

Velle Romam decisiones, vel inde discere debuit, quod terminum peremptorium ipsi præscripserit, intra quem proferre debet omnia, quæ adhuc adversus *prætensos Jansenistas* proferenda habet. Dum autem proferre nil potest præter miserandum hoc *specimen*, frustra Romam ab eo consilio deterrere nititur vanis istis figmentis, quod dispositi non simus ad decisiones recipiendas; quod libri & libelli famosi, quos mundus capere non poterit, per nos scribillandi sint &c. Nam vel hæc ipsa ostendunt decisione opus esse; ut ista tandem quidvis in nos dicendi & scribendi licentia compescatur, & obstruatur os loquentium iniqua.

Dicam quod res est: Decisiones Romanas non vult Accusator; Ipse Rem omnem decidere vult in Belgio: & qui fingit Romanis tanti non esse decisionem suam, ut pretio libellorum famosorum eam velint; is tanti facit decisionem suam, ut pretio longè majori eam se velle declaret. Quæ enim turbæ, quæ contentiones, quæ scandala, non miscerent Ecclesias Belgicas; si pro decisione Romana conceptum suum primum, de quo mox, executioni mandaret Accusator?

SPECIMEN.

At tamen, dicet Lector amicus, occurrendum est malis; nec desperandum tam cito de remedio. Verum est: & jam antè hoc remedium premiseram.

ANIMADVERSIO.

Jam ante, ubi dixerat: *Alia est medicina, domestica, & non tam procul repetenda; quæ utinam jam ab initio fuisset adhibita! Neque nos tantum laboris & impensæ, neque Roma ipsa tantum molestiæ pertulisset.*

SPECIMEN.

Nec inane, si quidem mihi fides apud eos quorum interest.

ANIMADVERSIO.

Tam abjecti, spero, non erunt Illustrissimi Belgii Episcopi, neque tam pacis Ecclesiasticæ inimici, ut dominari sibi sinant Accusatorem, & per eum Diœceses suas gubernari. Hoc tamen ab iis postu-

poſtulat, ut *inane* non ſit remedium, quod meditatur: *Nec inane*, inquit, *ſi quidem mihi fides apud eos quorum intereſt.*

SPECIMEN.

Ad principium redeundum eſt.

ANIMADVERSIO.

Addere poterat: Et cauſa, coram Sede Apoſtolica pendens, ad Tribunal noſtrum revocanda.

Principio ergò non ſtatuerat Accuſator, controverſias Belgicas Romam deferre; quamquam voce & ſcripto, privatim & palam, ſæpius Romam provocaret, ipſe vel ſolus vel cum ſocio, ut ajebat, ire paratus. Simulavit; & ſimulando captus eſt, dum capere voluit. Captus tamen evaſit, nè iter promiſſum ipſe ſuſciperet: Pro ſe, Deputatum miſit; ſed neque hoc ſine errore factum eſſe deplorat.

SPECIMEN.

Undè non ſine errore digreſſio facta eſt.

ANIMADVERSIO.

Ergo non ſine errore ad Sedem Apoſtolicam itum eſt.

Nolo hic eâ in Accuſatorem exclamatione uti, quâ uſus eſt in nos ipſe: *Nequitia & ſuperbia eorum qui te oderunt, Sedes Roma Petri, aſcendit ſemper, etiam te retribuente pro odio gratiam & indulgentiam:* Nolo in ipſum dicere, quod ipſe paulò antè immeritò dixit in nos: *Hæc via veſtra ſcandalum toti mundo:* Sed ſuam Sedi Apoſtolicæ cauſam vindicandam relinquo. Decernet ipſa, quid ſtatuendum de Vicario Apoſtolico, qui non *ſine errore digreſſionem* iſtam factam eſſe, ac proinde non ſine errore Romam itum, cum totius mundi ſcandalo palam deplorat.

SPECIMEN.

Primus horum malorum, quibus Belgium tenetur, componendorum conceptus fuerat, iſque (uti ſolet) optimus: ut Antiſtites quaſdam opiniones, undè malis origo, judicio ſubjicerent virorum Eruditiſſimorum: quas dum hi cenſuiſſent noxias aut periculoſas, in promovendorum examine eæ fuiſſent propoſitæ, & ex reſponſis admiſſus quiſque vel rejectus.

ANIMADVERSIO.

Expendamus conceptum iſtum ſigillatim.

Opiniones, undè malis origo, juxta Accuſatorem noſtrum ex indubiè ſunt, quæ ſunt opinionibus ipſius contrariæ, & quas de Janſeniſmo, rigore, vel novitate accuſat.

Viri Eruditiſſimi, quorum judicio eæ ſubjiciendæ erant, non fuiſſent alii quàm qui ſe profitentur opinionibus Accuſatoris addictos, & alienos à noſtris.

Cenſuiſſent hi, noxias aut periculoſas eſſe opiniones contrarias his aut ſimilibus:

Anguſta porta (Luc. 13. v. 24.) eſt porta Religionis Chriſtianæ, etiam quatenus à vulgo fidelium (ne ad neſcio quos rigores reſtrictio fiat) obſervatur.

Per ſe atque ut communiter fit, ebrietas eſt gravior fornicatione.

Peccatores ex infirmitate recenter lapſi, etiam fornicarii, facilè & citò mediante Sacramento reſtituuntur, quemadmodum candela recens extincta, admoto igne, facilè reaccenditur.

Viſcoſitatem fornicationis v.g. ſed nondum verſæ in conſuetudinem, meliùs curaveris citâ abſolutione, quam aliquot dierum dilatione.

Sacerdos, aliàs bonæ vitæ, per extraordinariam tentationem eâdem nocte in fornicationem lapſus, abſolvi, mitti ad altare, & celebrare poteſt manè, ſi aliàs plebs die Dominicâ ſacro fruſtranda foret.

Converſio peccatoris paſſim fit citò & facilè.

Hæc eſt Eccleſiæ praxis univerſa, peccatorem ordinarium ex ſola fragilitate lapſum non dimittere ſine abſolutione, quoties ſincerè affirmat ſe eſſe verè contritum, proponere firmiter non peccare de cætero, pœnitentiam rationabilem acceptare, conſilia ſalutaria velle ſequi: modò ex nullis poſitivis ſignis Confeſſarius poſſit prudenter dubitare de oppoſito.

Hæc eſt Eccleſiæ praxis univerſa, conſuetudinarium etiam primâ vice abſolvi poſſe, modò ſincerè affirmet ſe contritum eſſe, velle abſolutè vitam mutare, conſilia Confeſſarii ſequi, vitare peccandi occaſiones, pœnitentiam condignam implere &c.

Hæc eſt Eccleſiæ praxis univerſa, conſuetudinarium abſolvi ſecundâ vice poſſe, ſi à prima confeſſione vitam aliquo modo emendârit v.g. lapſus ſit rariùs, tentationibus reluctatus diutiùs, pœnitentiam impleverit, occaſiones peccandi vitaverit &c.

Idem etiam cum proportione de tertia & quarta confeſſione dicendum.

Ad

Ad absolvendum prudenter pœnitentem non requiritur moralis aliqua certitudo.

Hæ & similes Accusatoris opiniones *in promovendorum Examine fuissent propositæ* : Qui illas admisisset, *admissus ;* qui rejecisset, *rejectus* fuisset.

Sic Diœceses Belgii omnes unius Accusatoris nostri arbitrio & nutu administratæ fuissent (*si quidem ipsi fides apud eos quorum interest ;*) Clerusque Belgicus totus aut debebat illi genu flectere, aut ab omni functione Ecclesiastica removeri. Nè tamen supremum sibi in Ecclesia dominium arrogare videatur ; frigidè subtexit eandam sequentem:

SPECIMEN.

Servatâ tamen debitâ subordinatione ad Sanctam Sedem.

ANIMADVERSIO.

Mira equidem humilitas, & in Sedem Apostolicam reverentia! Omnia pro nutu suo, inconsultâ Sanctâ Sede, in re tanti momenti, undè pax Ecclesiæ pendet, disponere ; & verbis facto contrariis debitam ad S. Sedem subordinationem protestari.

SPECIMEN.

Quod si fata Deûm, si mens non læva fuisset.

ANIMADVERSIO.

Deos & homines incusat, quod ipsius consiliis obtemperatum non fuerit, nec primus ipsius conceptus executioni mandatus. Deos quidem, cùm *læva* ait fuisse eorum *fata:* homines verò (Episcopos quorum intererat) cum *lævam* ait fuisse *mentem*. Quare ex eodem Poëta addere poterat, & hunc versiculum:

Quem non incusavi amens hominumque Deorumque

SPECIMEN.

Quot nummis, quot laboribus & turbis, parcitum non erat.

ANIMADVERSIO.

Nummis, fateor, & laboribus parcitum erat ; sed non turbis. Incredibile dictu, quanto tumultu mixtum fuisset totum Belgium ; si Accusatoris consilio obtemperatum fuisset. Nôrunt omnes, quæ turbæ exortæ sint, ubi primùm in Belgio cœptum est exigi juramentum juxta *Additiones*, existimantibus quibusdam Theologis id tutò

præstari non posse: sed quantæ, putas, exortæ fuissent, si omnes per Belgium Theologi & Clerici, vel ad Sacros Ordines, vel ad Beneficium aut Officium, vel ad functionem aliquam Ecclesiasticam promovendi, coacti fuissent unius Accusatoris opinionibus, quas plurimi horrent, subscribere, & suis opinionibus quas saniores & tutiores putant, renuntiare, alioquin ab omni promotionis spe excludendi?

SPECIMEN.

Hâc tam facili ratione!

ANIMADVERSIO.

Ita est, nîl eâ ratione facilius ad excludendos omnes, qui veritatem & conscientiam pro buccella panis, pro pugillo hordei, & pro modico corruptibilis vitæ venalem, non habent: sed nîl iniquius, nîl paci publicæ funestius, nîl Ecclesiæ perniciosius.

SPECIMEN.

Nec deerat exemplum in Episcopis superioribus, Mechliniensi & Gandensi, ut videre licet apud Fagnanum in Cap. Ne innitaris.

ANIMADVERSIO.

Episcopi isti neminem à functionibus Ecclesiasticis repellebant, nisi ob doctrinam & praxim quarundam assertionum, quarum laxitas ac pernicies prorsus erat manifesta ac evidens. Atque en tibi aliquot earum specimina:

1. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat; nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

2. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directè & ex proposito quærit, aut se ingerit.*

3. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium. Et mollities, Sodomia, bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimæ; adeóque sufficit in primo casu dicere in Confessione, se esse fornicatum: & in secundo, se procurasse pollutionem.*

4. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium &c.*

Has & alias ejusdem farinæ assertiones numero septemdecim Illustrissimus Archi-Episcopus Mechliniensis BOONEN proponebat iis,

qui

qui ad audiendas fidelium Confessiones se examini sistebant; nec admittebat quemquam, nisi promitteret juramento, quod ab illarum praxi caveret. Ne quid autem ea in re temerè ageret, assertiones illas miserat Facultati Theologicæ Academiæ Lovaniensis, quæ partim die 30. Martii, partim 26. Aprilis 1653. judicavit eas *in praxi non tolerandas, & authoritate superiorum meritò prohibendas.*

Insuper & facti sui rationem Sacræ Congregationi Cardinalium S. Concilii Trid. Interpretum aperuit, dictasque propositiones censuratas transmisit, ut authoritate suâ superiori pium illud inceptum promovere dignarentur. Eminentissimi autem Patres zelum atque prudentiam ipsius summoperè laudârunt litteris ad ipsum datis Romæ 14. Novembris 1654. Ita refert Illustrissimus TRIEST, Episcopus Gandavensis in litteris ad Facultatem Theologicam Lovaniensem datis 9. Aprilis 1657. cui & exemplo dicti Archi-Episcopi plures alias propositiones transmisit, pariter rogans, ut quas in praxi perniciosas aut non tolerandas judicassent, eas censurâ suâ singulis & junctim appositâ notarent. Erant autem hæ & similes:

1. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, aut temporali nostro, vel proximi.*

2. *Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare cum magno detrimento suo; undè nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est ad lucrandum bona temporalia mediâ negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarii vulgo Regalo, dummodo deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur.*

3. *Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Alias ejusdem furfuris, usque ad viginti & sex, videre licet apud Fagnanum in Cap. *Ne innitaris*, suis sigillatim censuris à Facultate Theologica Lovaniensi, postulante Episcopo Gandavensi, perstrictas.

Ab horum Episcoporum exemplo si ratiocinari velit Accusator, argumento, ut aiunt, à pari; debet paris absurditatis assertiones in Examine proponendas afferre: Si verò paris absurditatis assertiones non afferat; noverit se non rectè argumentari à pari.

Porrò si paris absurditatis assertiones afferat; nullus erit eorum, quos accusat, qui non ejuret eas lubenter, promittatque etiam cum juramento numquam se eas secuturum in praxi. An eâdem animi

 promp-

promptitudine illas ejurarent qui adhærent ipsi, non item mihi constat; ipse in promovendorum Examine id dispiciat.

SPECIMEN.

Dicere nolo cum Authore Epistolæ quam impugno ; Ils ne sont pas à s'apercevoir de cette beveû, & à s'en repentir. *Planè adhuc ea via aperta est.*

ANIMADVERSIO.

Nequaquam adhuc aperta est, postquam causa ista tota pendet coram Sede Apostolica: pendente enim causa, nihil innovandum esse, omnes Jurisperiti consentiunt.

SPECIMEN.

Magna utique & evidens.

ANIMADVERSIO.

Exultare videtur (utinam in Domino) Accusator, dum vel cogitat viam istam, magnam utique & evidentem, quâ tam facilè omnes sibi non consentientes ab omni functione Ecclesiasticâ excluderet. Diceres eum jam indè Examini à se composito præsidere; & alios à sacris Ordinibus, alios à Confessionibus audiendis, alios à prædicando verbo Dei, alios ab aliâ functione Ecclesiasticâ, passim repellere.

Sed providebit, spero, sua Sanctitas, nè viam istam tam magnam & evidentem ingredi sinatur; atque in Ministros & Gregem Dei tantum dominium exerceat.

SPECIMEN.

Neque enim hîc de libro alicujus Cardinalis agitur, aut de re quæ supra Episcoporum sit potestatem.

ANIMADVERSIO.

De Episcoporum potestate hic quæstio non est, sed de potestatis usu vel abusu. Potestatem habent Episcopi, à Sacris Ordinibus & functionibus Ecclesiasticis aliquos repellendi; sed potestate istâ legitimè eos, non pro libitu, uti oportet. Usi fuerint potestate istâ Illustrissimi Præsules BOONEN & TRIEST adversus Clericos, laxiorem doctrinam & praxim profitentes: nequaquam inde sequitur, eâdem potestate uti posse Accusatorem adversus Clericos, qui profitentur doctrinam & praxim, ut ipse vocat; rigidiorem.

Atque

Atque hoc tamen eſt continuum Accuſatoris noſtri ſophiſma, ſic ratiocinantis: Vos plures è noſtris ab audiendis Confeſſionibus repuliſtis ſub ALPHONSO; Igitur & nos meritò rejicimus veſtros ſub Illuſtriſſimo HUMBERTO: Vos tunc habuiſtis vices veſtras; Igitur & nos meritò nunc habemus noſtras &c.

Quaſi verò Epiſcopus aliquis, addictus tunc opinionibus, quas ejurari voluerunt Illuſtriſſimi BOONEN & TRIEST, rectè ratiocinatus fuiſſet in hunc modum: "Illi nolunt ad audiendas fidelium confeſ-„ſiones admittere, niſi qui ejurant opiniones meas: Ergo ego admit-„tere non debeo, niſi qui ejurant opiniones ipſorum.„ Illi v.g. nolunt admittere, niſi qui ejurant hanc, *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat ſe dolere & proponere emendationem*, quæ mea opinio eſt: Ergo ego admittere non debeo, niſi qui ejurant hanc, *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi..... eſt neganda vel differenda abſolutio* &c. quæ eſt opinio ipſorum. Sic tamen argumentari velle videtur Accuſator. Quæ argumentandi ratio ſi ſemel admiſſa fuerit; jam nullus erit vel in Eccleſia vel in Republica tam iniquus dominator, qui Regimen ſuum, quantumvis Tyrannicum, non ab omni culpa expurget.

SPECIMEN.

Suppeditabuntur, ubi opus fuerit, ejuſmodi opiniones; per uſum detegentur indies aliæ ab iis quibus aliqua eſt rerum ejuſmodi cura.

ANIMADVERSIO.

Nunc ſuppeditaſſe & detexiſſe opus erat, cum præfixo Romæ termino peremptorio, proferre juſſus eſt Accuſator ſi quid adhuc nobis opponendum habet. Et ecce poſt tantum temporis & curæ & laboris nîl profert quod noſtrum ſit, ſed tantum Epiſtolam alienam, quam nobis affingit; ſuam quidem in accuſando inopiam, noſtram verò innocentiam teſtatus.

SPECIMEN.

Nuper non nemo unam talem detexit, & fortè præcipuam.

ANIMADVERSIO.

Falſiſſimum id eſſe, & temeritate plenum, mox oſtendam.

SPECIMEN.

(*Si tamen istam exceperis supra tactam de* fallibilitate Ecclesiæ in judicando quis sit sensus, &c.)

ANIMADVERSIO.

Hanc profitentur Eminentissimi S. R. E. Cardinales, Bellarminus, Baronius, aliique; item Illustrissimi in Ecclesia Episcopi cum celeberrimis passim Theologis, tamquam quæ necessaria sit ad Infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis quæstionibus fidei & morum tuendam.

SPECIMEN.

Epistolam attexam, deletis tamen nominibus, ut instructio sit, non accusatio. Plura fortasse dies suggeret.

ANIMADVERSIO.

Quasi verò sic onus probandi Accusator evaderet. Sparget scilicet in vulgus, quidquid libuerit; nullius nomen exprimet; sed per circumstantias non minus clarè designabit eos quos accusat, ac si nomen illorum exprimeret. Hoc pacto, si ita Judicibus visum est, impunè in famam cujusque grassabitur; accusabit quos & de quibus voluerit; falsa an vera sint crimina de quibus accusat, nil curabit: Et post hæc omnia *instructor* erit (quamquam nec ipse instructus) non *Accusator*. Quis non intelligat, laxissimam sic omni calumniandi licentiæ portam aperiri, ut sine fræno quosvis invadat?

EPISTOLA.

Eruditissime Domine.

ANIMADVERSIO.

Epistola hæc est Doctoris MARTIN ad Licentiatum OPSTRAET.

EPISTOLA.

Cum intelligam D. Vestram alibi procul inquirere, quid de tua fide circa Redemptionem Christi the fuerat auctore vulgatum: hisce litteris D. Vestra significandum duxi, superfluam & suspectam esse inquisitionem illam tuam extra Lovanium, cum hic me præsentem habeas, qui tibi ante institutam istam inquisitionem obtuli in Hallis, etiam per Notarium quem jactabas mittendum ut me interrogaret, plenè referre quid de tua fide nuntiaverim. Nunc verò, nè te vel alios frustra fatiges, totam rei seriem commemorabo.

ANIMADVERSIO.

Quæ causa impulerit Doctorem *Martin* hanc ad me Epistolam scribere,

ſcribere, & ultrò ſe jactatæ de me calumniæ authorem fateri, poteſt ex his quæ ſubnecto intelligi.

Die 4. Anni 1698. Amicus quidam Mechliniâ ad me ſcripſit hæc:

REVERENDE ADM. AC ERUD. DOMINE,

Spargitur hic rumor, Eruditiſſima D.V. à Domino Martin *fuiſſe propoſitum, an credat Chriſtum pro ſe mortuum fuiſſe & pro aliis hominibus, cum oblatione Reverentiam veſtram Cathedra & Confeſſionali reſtituendi, caſu quo affirmativè reſpondere & id ipſum ſcripto declarare vellet; Reverentiam Veſtram autem id noluiſſe vel ſubterfugiſſe aſſerere. Rumori huic non credens eundem cum aliis ejuſdem farina calumniis contemnendum exiſtimarem, niſi & per Viros prima nota & coram primariis divulgaretur. Primâ die anni hujus idipſum coram ſpectabili conſortio tamquam planè certum narravit Dominus N... Veſtrum erit expendere, an non conveniat contra Dominum N... exhibere ſupplicam, quâ petatur, ut dicta probet vel revocet...*

REV. ADM. AC ERUD. DOMINE,

4. anni 1698. Totus Veſter N. N

Die 9. ejuſdem anni adjecit Amicus ſequentia:

In ultimis meis ad Reverentiam Veſtram datis exciderat mihi indicare, quod N... addidiſſet, Dominum Martin *facti mentionati variis Belgii Epiſcopis dediſſe declarationes in forma.*

Circa idem tempus aliæ etiam litteræ ad alios venerunt Mechliniâ eadem nuntiantes, quibus & ſignificabatur, mirari omnes Mechliniæ, quod famam meam ſic negligerem.

Tandem 4. Februarii ejuſdem anni ſcripſi Viro illi, qui iſta de me Mechliniæ vulgaverat, his verbis:

AMPLISSIME DOMINE,

Audio rumorem ſpargi de me, quod non credam Chriſtum pro me & omnibus aliis hominibus mortuum eſſe; quin & Amplitudo Veſtra dicitur id in honoratiſſimo quodam conſortio de me aſſeruiſſe. Non exiſtimo, Ampliſſime Domine, umquam me rumori iſti anſam dediſſe, cùm contrarium ſemper palam & privatim profeſſus ſim, & adhuc profitear: ideoque humillimè rogo Amplitudinem Veſtram, ut de iis quæ geſta ſunt me inſtruere non gravetur, ſemperque ero hoc beneficio obſtrictus.

AMPLISSIME DOMINE,

AMPL. VESTRÆ. *Servus Humillimus.*

Lovanii 4. Februarii 1698. J. OPSTRAET.

Cum fruſtra ad hæc dies multos reſponſum expectaſſem, iterùm ſic ſcripſi die 19. ejuſdem menſis;

AMPLISSIME DOMINE,

Die 4 hujus menſis ſcripſi Amplitudini Veſtræ in hunc ferè modum: " Audire me, ſpargi de me „ rumorem, quod non credam Chriſtum pro me & omnibus aliis hominibus mortuum eſſe; quin & „ Amplitudinem Veſtram dici in honoratiſſimo quodam conſortio id de me aſſeruiſſe: Non exiſtimare „ me, quod umquam rumori iſti anſam dederim, cum contrarium ſemper palam & privatim pro- „ feſſus ſim, & adhuc profitear: ideoque humillimè rogare me Amplitudinem Veſtram, ut de iis quæ „ geſta ſunt me inſtruere non gravetur. „ Verum cum ſuper his nihil hactenus reſponſi ab Amplitudine Veſtra accipere meruerim, iterum enixè rogatum venio, ut diutius illud non differat. Satis enim intelligit Amplitudo Veſtra, magnoperè ad famam meam intereſſe, ut tam enormis de me rumor quantocius compeſcatur. Maneo

AMPLISSIME DOMINE,

AMPLITUDINIS VESTRÆ

Servus humillimus

Lovanii 19. Febr. 1698. J. OPSTRAET.

Ad hæc mihi reſpondit die 21. Februarii in hæc verba:

ERUDITISSIME DOMINE,

Memor eſt, ut puto, Eruditiſſima Dominatio Veſtra eorum quæ dicta ſunt & geſta eo tempore quo interpellavit Eximium D. Martin in eum finem, ut per ejus ad Illuſtriſſimum D. commendatitias recuperaret revocatam facultatem excipiendi Confeſſiones. An ea hiſtoria non dederit anſam huic rumori, de quo conqueritur in ſuis, ipſa viderit.

Cæterum cum declinare poſſit omnem invidiam & rumorem illum reprimere ſubſcriptione hujus propoſitionis, EGO FIDE DIVINA ET SUPERNATURALI CREDO CHRISTUM DOMINUM ESSE REDEMPTOREM MEUM, SEU PRO ÆTERNA SALUTE MEA MORTUUM, SIVE, ILLIUS MORTE ÆTERNAM SALUTEM MEAM MIHI REDDITAM ADEPTU POSSIBILEM: *rem ſanè ſibi proficuam & mihi gratam præſtiterit, ſi quam primum mihi præfatam ſubſcriptionem in forma dignetur tranſmittere, quam avidè expectans maneo*

ERUDITISSIME DOMINE,

Mechl. 21. Febr. 1698. *Veſter humillimus Servus NN.*

Nota in hiſce litteris *Formularium primum*, quod deinceps *Formularium Ampliſſimi Mechlinienſis* vocabimus: mox ſequetur *ſecundum*, quod dicetur *Martinianum.*

Ego ad hæc:

AMPLISSIME DOMINE

Hoc unum præcipuè Amplitudinem Veſtram rogaveram, ut ſignificare mihi non gravaretur, verumne eſſet, quod in honoratiſſimo quodam conſortio aſſeruiſſet me non credere Chriſtum Dominum pro me & pro aliis omnibus hominibus mortuum eſſe? Sed ne verbo quidem ad hoc Amplitudo Veſtra reſpondet. Iterum ergo iterumque rogo, ut aliquid ad hoc reſponſi accipiam. Si id obtinere non poſſim, ignoſcet mihi, ſpero, Amplitudo Veſtra, ſi altâ viâ cogar rumorem iſtum compeſcere, & famæ meæ conſulere

Cæterum certus ſum, me rumori, de quo queſtus ſum, anſam numquam dediſſe per ea quæ inter Ex. D. Martin & me aliquando geſta ſunt. Quod verò attinet ad ſubſcriptionem formulæ quam à me exigit Amplitudo Veſtra; ego, dum opus erit, fidem meam Orbi toti multò teſtabor illuſtrius, quam ſi formulæ veſtræ ſubſcriberem, palamque oſtendam, immeritò me ſuſpectum haberi, tamquam cujus fides per ejuſmodi formulam explorari debeat. Aliud itaque reſponſum quantocius expectans maneo

AMPLISSIME DOMINE
AMPL. VESTRÆ *Servus humillimus*

Lovanii 1. Martii 1698. J. OPSTRAET.

Nihil quidem ad hæc Ampliſſimus: ſed quidam ipſius Amicus ita ad me ſcripſit die 4. Martii:

REV. ADM. AC ERUD. DOMINE,

Heri coram Ampliſſimo Domino.... factâ mentione eorum quæ circa initium hujus anni contigerunt, reponebat idem Dominus ſe tunc ſolummodo narraſſe quod ab Eximio Domino Martin acceperat, quodque ſe ab ipſo accepiſſe dixerat: ideóque contendebat Dominationem Veſtram debere potius Eximium iſtum Dominum convenire.... Cæterum hæc confidenter ſcripſi, ſic optans Dominum.... à difficultatibus non neceſſariis eximi, ut nihilominus ſimul honori veſtro conſultum eſſe velim, qui ſum ex animo

REV. ADM. ET ERUD. DOMINE

Mechliniæ 4. Martii 1698. *Veſter humillimus famulus N.N.*

Anxius itaque Ampliſſimus Lovanium venit, ubi collato cum Doctore Martin aliiſque conſilio, viſum eſt, ad avertendas ab Ampliſſimo difficultates expedire, ut Epiſtolam mihi ſcriberet Doctor ille, in quâ ſe ſparſi de me rumoris Authorem fateretur. Quaſi ideò calumniæ reus agi non poſſet Ampliſſimus, quia calumniæ tantum divulgator fuit, non Auctor; ubi contra certum eſt, non ſolum Authorem, ſed & Divulgatorem eodem reatu involvi, atque ad reparandam injuriam, quam uterque intulit, utrumque teneri. Atque hæc quidem ſcribendæ mihi à Doctore Martin Epiſtolæ occaſio extitit. Nunc quæ narrat audiamus.

EPISTOLA.

Ante bienninm die valdè (*ſic memini*) *nivosâ* inter Collegia... &... (Ex Originali ſupple, *S. Spiritus & Regium*) *me ſtitiſti in platea, & queſtus de ſuſpenſa vel adempta tibi Facultate Sacras Confeſſiones audiendi, blandè & enixè rogabas, ut apud Illuſtriſſimum D. Archi-Epiſcopum noſtrum intercederem quo tibi reſtitueretur prædicta Facultas.*

ANIMADVERSIO.

Res iſta paulò altiùs repetenda eſt.

Anno 1693. circa Dominicam in Albis inſinuavit mihi Reverendus Admodum atque Eximius D. DAEMEN Archi-Presbyter Lovanienſis, adimi mihi ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Archi-Epiſcopo Mechlinienſi facultatem prædicandi Verbum Dei & Confeſſiones audiendi: idque ſibi ſignificatum per litteras, ſed quas non oſtendebat. Mox ego me Bruxellas contuli ad Illuſtriſſimum, qui dicebat ſe non mandaſſe ut id ſcriberetur: ideóque ſine mora alias litteras ſcribi juſſit ad dictum Archi-Presbyterum, quibus mandabat ut mihi inſinuaret, poſſe me, ut prius Confeſſiones excipere, modò intra Collegium Pontificium.

Simul Bruxellis didici, Doctorem MARTIN quaſdam contra me ad Aulam Archi-Epiſcopalem ſcripſiſſe litteras: atque has cauſam dediſſe, cur facultas Confeſſiones audiendi reſtringeretur ad Collegium Pontificium, cum priùs Confeſſiones exciperem in Sacello S. Anthonii.

Lovanium redeunti inſinuat mihi D. Archi-Presbyter id quod mandante Illuſtriſſimo ſibi ſcriptum fuerat: ac deinceps pergo quorumvis ad me adventantium Confeſſiones excipere in Collegio Pontificio, eò ſecurior, quod crederem æmulos meos nihil amplius ten-

taturos apud Illuſtriſſimum, à quo artes ſuas deprehenſas & primos ſuos conatus eluſos viderant.

Sed vel hoc ipſos adverſus me concitavit vehementiùs. Nam non amplius duobus menſibus poſt, haſce mihi litteras ſcripſit R.D. VAN SUSTEREN tunc à Secretis Illuſtriſſimo:

REV. ADM. ET ERUD. DOMINE

Varii Superiores, qui Alumnis Univerſitatis Lovanienſis intendunt, conqueruntur, quod Curæ ſuæ commiſſi paſſim ad Collegium Pontificium diſſluant Reverentia Veſtra confitendi gratiâ, ex quo non parva experiuntur incommoda in directionibus ſuis: Quare Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus meus Archi-Epiſcopus injunxit mihi, ut Reverentiæ Veſtræ inſinuarem, quod rectè & opportunè factura ſit non indulgendo tantis laboribus, ac ſeſe dumtaxat Collegii Pontificii Alumnis impendendo.....

REV. ADM. ET ERUD. DOMINE

REVERENTIÆ VESTRÆ *Humillimus ſervus*

Bruxellis 6. Junii 1693. H. J. VAN SUSTEREN Secret.

Qui fuerint Superiores illi, nulli difficile erit conjicere. Ego ut novas iſtas æmulorum meorum accuſationes eliderem, rogavi Collegiorum Præſides, Regentes, Subregentes, & Profeſſores, quorum mihi alumni confitebantur, ut quid circa meam directionem experti eſſent dignarentur teſtari. Nec mora, teſtati ſunt omnes, nulla umquam ſe ex directione mea in Alumnis ſuis incommoda expertos: Addebat alius, *eos qui à me directi fuerant, ſingularem præ cæteris oſtendiſſe vitæ probitatem, in ſtudiis diligentiam, & in omni agendi ratione animum Viro Eccleſiaſtico dignum, velleque vehementer ut plures meæ directioni ſeſe ſubjicerent*: Alii, *expertos ſe ea omnia, quæ cauſam præberent commendationi*: Alii, *habere ſe ex directione mea in ſuorum Alumnorum directionibus commoda plurima, ſiquidem ad oculum ſe videre, eos ex inſtructionibus meis indies proficere in pietate, morum probitate & diligentia ſtudii*: Alius, *directionem meam ſemper fuiſſe & eſſe Alumnis ſuis tam utilem & ſalutarem, ut propter hanc illi fuerint toti Collegio exemplo, & ſibi maxima ſolatii & gaudii cauſa; ideoque ex intimo corde rogare ſe ut alumnorum ſuorum directionem dignarer continuare.*

Hujuſmodi teſtimonia, omninò quindecim, cum litteris reverentiâ plenis die 8. Junii 1693. miſi ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Archi-Epiſcopum: ſed fruſtra.

Ipſi etiam Domino VAN SUSTEREN aliquando oſtendi, verum eſſe non poſſe, quod *varii Superiores, qui Alumnis Univerſitatis Lovanienſis intendunt*, ex mea directione *non parva experirentur incommoda in directionibus ſuis*; cum ego attuliſſem teſtimonia contraria

ab

ab illis ſuperioribus, quorum Alumnos dirigebam. Sed neque ſic quidquam profeci.

Supererat itaque mihi adhuc facultas audiendi Alumnos Collegii Pontificii; item facultas concionandi: ſed & hoc quod reliquum erat, mihi inviderunt æmuli. Neque enim prius deſtiterunt, quam poſt duorum circiter annorum machinationes die 28. Aug. 1695. inſinuavit mihi Doctor DAEMEN Archi-presbyter Lovanienſis, Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Archi-epiſcopum Mechlinienſem *revocare mihi omnem, quam adhuc habebam, facultatem concionandi & Confeſſiones fidelium excipiendi.* Cui mandato in hunc uſque diem omni, quâ par eſt, reverentiâ obtemperavi. Ex his patet, Doctorem MARTIN primam occaſionem dediſſe reſtringendi facultatem audiendi Confeſſiones quam illimitatam habebam.

Hoc ipſe mihi faſſus eſt die ultimâ Julii 1693. non procul templo Jeſuitarum Lovanii, cum ipſi ſignificarem, quid Bruxellis de illo didiciſſem: quin & promittebat ſe gravamen, quod mihi intulerat, ſublaturum pro viribus, ſi deprehenderet ſe de me falſum ſcripſiſſe. Scripſerat autem, ut aiebat, hæc: "Veniſſe ad ſe Lectores aliquos „ Religioſos, affirmantes me Confeſſiones excipere in Sacello S. An-„ thonii, quibus reponebat, ſe id non credere, eò quod meminiſſet „ audiviſſe ab Eximio Domino DAEMEN, jam circiter à duobus annis „ mihi ex parte Illuſtriſſimi Domini prohibitum fuiſſe Confeſſiones „ excipere in Parochia S. Michaëlis; ex quo ſatis conſtaret, etiam „ mihi id prohibitum eſſe alibi: nec proinde putare ſe, adeò me eſſe „ ſacrilegum, ut prohibente Illuſtriſſimo Confeſſiones excipere au-„ derem. Sed cum Religioſi perſtarent id affirmando, rogarentque „ ut ad Illuſtriſſimum Dominum ſcriberet; omnia ſe, ut eſſe putabat, „ bonâ fide ſcripſiſſe.„

Ad hæc ego: "Verùm eſſe non poſſe, quod dicebat ſe audiviſſe „ ab Eximio Domino DAEMEN; cùm ipſe Eximius DAEMEN, tunc Pa-„ ſtor S. Michaëlis, mihi dediſſet veniam audiendi in Parochia S. Mi-„ chaëlis Confeſſiones infirmorum; me autem veniam iſtam ab eo „ petiviſſe occaſione cujuſdam meæ pœnitentis infirmæ circa portam „ extimam Dieſthemienſem: Non potuiſſe verò ipſum veniam illam „ mihi dare; ſi ex parte Illuſtriſſimi Domini prohibitum mihi fuiſſet „ in Parochia iſta Confeſſiones excipere.„

Cum hinc manifeſtum eſſet, eum errore facti deceptum de me falſa ſcripſiſſe; ſæpius ubi occaſio ferebat, ſui eum debiti ac promiſſi de reparando gravamine admonui. Et (niſi fallor) ipſa illa *die*, ut ait, *valdè nivosâ*, quâ ipſum *ſtiti inter Collegia S. Spiritus & Regium*,

M iterum

iterum ipſum ut illatam injuriam repararet, hortatus ſum.

Atque hoc eſt quod dicit, *queſtum me de ſuſpenſa vel adempta mihi facultate ſacras confeſſiones audiendi, blandè & enixè rogaſſe, ut apud Illuſtriſſimum D. Archi-epiſcopum noſtrum intercederet, quo mihi reſtitueretur prædicta facultas.*

EPISTOLA.

Ego reſpondi: Licet de precum mearum ſucceſſu magnoperè dubitarem, è veſtigio tamen daturum me tibi atteſtationem meâ manu deſcriptam quâ cunctis declararem non eſſe te Janſeniſtam, neque eo nomine debere manere ſuſpenſum à prædicta facultate, ſi huic articulo ſubſcriberes:

ANIMADVERSIO.

Cùm monito meo de injuriâ apud Illuſtriſſimum reparandâ nil reponere poſſet Doctor MARTIN, ſignificabat rem inde non pendere; ſed omnia brevi compoſitum iri, ſi modò profiteri vellem, *Chriſtum Dominum pro omnibus hominibus mortuum eſſe.*

Reſpondebam, me hoc ſemper profeſſum eſſe & adhuc profiteri tamquam articulum fidei.

At, inquiebat, intelligis id *pro generibus ſingulorum.*

Intelligo, aiebam, *& pro me, & pro Eximia Veſtra Dominatione, & pro hoc, & pro illo, & ſic pro omnibus hominibus:* idque repetebam ſæpius. Tum fortè propoſuit hanc ſuam formulam:

EPISTOLA.

Ego fide Divinâ credo D. N. Jeſum Chriſtum eſſe Redemptorem meum, ſeu pro æterna ſalute mea mortuum eſſe.

ANIMADVERSIO.

En paucorum dierum ſpatio formularia duo: Alterum, *Ampliſſimi Mechlinienſis*, proponi cœptum die 21. Feb. 1698. Alterum, *Martinianum*, propoſitum die 11. Martii ejuſdem anni. Mirum, ſi non cras tertium aliquod, & perendie quartum, & quotidie novum aliquod naſcatur. Nimirum non ſufficit amplius Formularium Alexandri VII. Abolendum fuit iſtud, dum *Additiones* illi adjectas abolevit Sedes Apoſtolica. Nulli amplius per illud, ſine additionibus propoſitum, deprehendi poterant Janſeniſtæ. Aliud primùm ab Ampliſſimo Mechlinienſi, deinde & aliud à Doctore Martin fabricandum fuit meliori ſucceſſu. Nam utrumque eam vim habet, ut quoſlibet, qui non ſubſcripſerint, mox ſine miſericordia, etſi minimè ſint, faciat tamen Janſenitas.

Sed

Sed quæ tandem eſt iſta privatorum hominum arrogantia, nova fidei Formularia præſcribere? Quæ temeritas, ea præſcribere in cauſa Janſeniſmi, in qua præter Formularium Alexandri VII. quidquam præſcribi vetuit Sedes Apoſtolica? Quæ iſta in Breve Apoſtolicum irreverentia?

Sed hæc Sedes Apoſtolica judicabit. Ego quidem iſta miror in Doctore Theologo: ſed magis in Ampliſſimo iſto Mechlinienſi, qui cum nec Theologiæ, ut audio, nec fortè Philoſophiæ umquam operam dederit, audet tamen Theologiæ Licentiatis formulam fidei præſcribere; & niſi ſubſcribant, de Janſeniſmo ſuſpectos habere.

EPISTOLA.

Tu quidem ſubridendo reponebas: Quis dubitet?

ANIMADVERSIO.

Fatente ergo Doctore Martin, Janſeniſta non ſum. Nam quod dixi, *Quis dubitet?* ſincerè dixi, & eo ſenſu dixi, quo verba iſta intelligere ipſe debebat: Nimirum, *ſine ulla dubitatione, fide divinâ credere me, D.N.J. Chriſtum eſſe Redemptorem meum, ſeu pro æterna ſalute mea mortuum eſſe.*

EPISTOLA.

Ego ingenuè me dubitare, an id crederes.

ANIMADVERSIO.

Quid facerem homine, poſt verba mea tam diſerta adhuc dubitante? Jurarem? At neque ſic fortè crederet. Quid ergo? Credebam non multum intereſſe, an crederet; ſed eum ex dubitatione tam temeraria venturum ad accuſationem tam enormem, fateor, non credideram.

EPISTOLA.

Et per manicam attrahere ut ingredereris Collegium.... (ex Originali ſupple, *Regium*) *ubi & tua de illo articulo fides, & mea de fide tua declaratio & atteſtatio ſcripto ſignaretur.*

ANIMADVERSIO.

Si per manicam me attraxerit, ut ingrederer Collegium Regium, joco magis, quam ſeriò id accepi ab homine ſatis liberaliter jocoſo. Quis enim crederet, aut ſeriò ipſum velle mihi formulam præſcribere; aut ſeriò eum credere, me formulam ab ipſo præſcribendam ſignaturum?

EPISTOLA.

Tu verò requisitum præstare absolutè recusasti ; & à petita intercessione urgenda desistere , quam præfato articulo subscribere maluisti.

ANIMADVERSIO.

Non *recusavi absolutè* (nam postulante Sede Apostolicâ , aut aliâ Authoritate legitimâ id præstarem promptissimè) sed ad postulatum hominis privati tam arrogans nè attendi quidem , taciusque contempsi.

Quod dicit de petita à me ipsius *intercessione* , intellige de datâ à me ipsi (ut supra retuli) *admonitione*, ut illatam mihi apud Illustrissimum injuriam & consecutum indè gravamen repararet : quod ut tandem faciat , iterùm ipsum hic iterumque admoneo.

EPISTOLA.

Illâ recusatione tuâ , quâ rem tam facilem & æquam præstare noluisti.

ANIMADVERSIO.

Facilem esse rem istam , fateor ; sed an *æqua* sit , expendamus.

Æquumne est , ut Doctor privatus sumat sibi authoritatem componendi & præscribendi novam formulam fidei ?

Æquumne est , ut id faciat in causa Jansenismi , ubi à Sede Apostolica vetitum est quidquam præscribi præter formulam Alexandri VII. sine *Additionibus ?*

Æquumne est ut id faciat circa unam è quinque propositionibus de Morte Christi pro omnibus , quasi circa illam non satis per suum Formularium providisset Sedes Apostolica ?

Æquumne est , ut eos declaret Jansenistas non esse , qui subscribunt formulæ ipsius : Ubi eos , qui subscribunt formulæ Sedis Apostolicæ , aut subscribere parati sunt , adhuc ut Jansenistas traducit ?

Æquumne est , ut postulante homine privato , novæ isti formulæ, sine authoritate legitima compositæ & præscriptæ, imo per Sedem Apostolicam præscribi vetitæ , subscriberet S. Theologiæ Licentiatus, non sine periculo incurrendi Sedis Apostolicæ indignationem ?

Æquumne est , ut id faceret spe recuperandi ademptam sibi Facultatem Confessiones audiendi , quam fugere potius , quam ambire deberet ?

Æquumne est , ut id faceret cum periculo exponendi se ludibrio omnium hominum; quippè qui scire deberet ac posset, ne quidem post signatum Formularium *Martinianum* , se facultatem Confessiones audiendi recuperaturum ?

Meritò

Meritò ergo rem iſtam in iis circumſtantiis præſtare nolui, & nolo adhuc; præſtare tamen paratiſſimus, ubi legitima auctoritas injunxerit.

EPISTOLA.

Cum ſervire tibi poſſet ad obtinendum quod vehementer deſiderabas.

ANIMADVERSIO.

Neque vehementer deſiderabam reſtitui mihi Facultatem Confeſſiones audiendi; neque, ſi vehementer deſideraſſem, ſervire mihi ad hoc poterat formulæ *Martinianæ* ſubſcriptio: tum quod tanti apud Illuſtriſſimum non ſit Doctor *Martin*; tum quod tantum apud ipſum non valeat ipſius formula. Neque enim exiſtimo, quempiam propterea à ſuſpicione & nomine Janſeniſmi liberandum, quod illius formulæ ſubſcripſiſſet.

EPISTOLA.

Firmatum eſt judicium meum de tua tuorumque ſymmyſtarum fide non bona.

ANIMADVERSIO.

Videte temeritatem & conſequentiam inſignem, quâ hodie Janſeniſtæ dicimur, & de *fide non bona* ſuſpecti reddimur. " Poſtulante „ Doctore Martin, ſubſcribere non vult Opſtratius novæ Formulæ „ fidei, ab eodem Doctore privatâ auctoritate compoſitæ, cùm tamen „ id ſervire poſſet ad recuperandam facultatem Confeſſiones audien- „ di: Ergo non credit fide divinâ D. N. J. Chriſtum eſſe Redemptorem „ ſuum, ſeu pro æterna ſalute ſua mortuum eſſe. „

Ego verò palam profiteor, ſi in iiſdem circumſtantiis à me exigeret Doctor ille ſubſcriptionem hujus articuli, *Credo in unum Deum*, minimè me ſubſcripturum. An ideò ſuſpectus forem de *fide non bona* iſtius articuli? Quaſi verò, quoties libuerit aut Doctori iſti, aut Ampliſſimo illi Mechlinienſi, novam nobis formulam proponere, toties nos aut paratos eſſe oporteat ad ſubſcribendum; aut *de fide non bonâ* ſuſpectos.

At major temeritas eſt, quâ illos etiam ſuſpectos habet, quorum animos per ſuam formulam numquam exploravit: *Firmatum eſt*, inquit, *judicium meum de tua* TUORUMQUE SYMMYSTARUM *fide non bona.* Quid enim ad alios, quibus ſimiliter facultatem Confeſſiones audiendi revocavit vel ſuſpendit Illuſtriſſimus D. Archi-Epiſcopus, quid, inquam, ad illos pertinet, quod ego formulæ Martinianæ ſubſcribere noluerim? Hos tamen etiam ſe propterea ſuſpectos habere ſignificat verbis quæ ſequuntur.

EPISTOLA.

Et ad amoliendam invidiam quæ Illustrissimo D. Archi-Episcopo N. ob revocatas vel suspensas tuas & quorumdam aliorum facultates conflari poterat, liberè diversis narravi quod inter te & me gestum fuerat.

ANIMADVERSIO.

Vel sic invidiam Illustrissimo D. Archi-Episcopo conflasti maximam. Nihil enim invidiosius de Illustrissimo narrari posset, quam quod ob suspiciones tam temerarias facultatem Confessiones audiendi revocaret aut suspenderet: Quippè qui sic manifestè impingeret in Breve Apostolicum, quod Episcopis injungit, *ne quemquam sub hoc prætextu* (Jansenismi) *repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiasticâ permittant, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.*

EPISTOLA.

Si nunc non rectè de fide tua me statuisse, ac temerè narrasse putes, consultissimum & expeditissimum erit, ut articulo supra posito indilatè subscribas; quod si feceris, ego oblatam attestationem promptissimè dabo, & meliorem præsentis tuæ fidei circa hunc articulum professionem non segniter ubique prædicabo, maximè apud eos quibus ex relata tergiversatione malæ fidei est ingesta suspicio.

ANIMADVERSIO.

De fide mea statuisti pessimè, & pejus narrasti: si vis saluti tuæ consulere, illatam mihi injuriam repara. Si non vis, frustra expectas, ut petente Te Formulario tuo subscribam. Ego juxta Breve Apostolicum *sincerè, absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione damno quinque propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio quem ipsamet Propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices, damnatumque haberi voluerunt à Christi fidelibus.* Si post hanc professionem adhuc me ut Jansenistam habeat Doctor Martin, parum curabo: sufficiet, me Urbi & Orbi fidem meam probasse.

EPISTOLA.

Habes ergo me sparsi de te rumoris authorem.

ANIMADVERSIO.

Ergo & authorem Calumniæ.

EPISTOLA.

Paratum satisfacere, si candidè præstes, quod justissimè postulatur.

ANIMADVERSIO.

Si non nisi sub conditione ista paratus sit satisfacere: timeo vehementer nè non satisfaciat umquam.

EPIS-

Expectans celerem & apertam atque sinceram responsionem tuam, maneo, Eruditissimè Domine, Eruditissimæ D.V. ad quævis obsequia congrua paratissimus famulus N.N. (ex Originali supple, FRANCISCUS MARTIN) *S.T.D.&P. Reg. Lovanii* 11. *Mart.* 1698.

ANIMADVERSIO.

Ne nimium obsequiosus foret, non offert obsequia nisi *congrua*, congrua, inquam, suo judicio: sed vereor nè non alia congrua judicet, quam qualia mihi jam indè apud Illustrissimum præstitit; quæ si per meliora reparare non vult, saltem ne per nova nocere pergat, rogo.

Superest ut pauca animadvertam in Epistolam sequentem, quæ nisi in *Specimine* palam ab Auctore exhibita fuisset, ego eam exhibere numquam ausim.

SPECIMEN.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO INTERNUNTIO APOSTOLICO MARTINUS STEYAERT FELICITATEM. *Quod nuper pollicitus eram scriptum, nunc mitto, demptis iis, quæ fortè minùs placitura videri poterant.*

ANIMADVERSIO.

Si tale sit *Specimen*, demptis iis quæ fortè minùs placitura videbantur; quale fuisset, iis non demptis!

SPECIMEN.

Si Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra dignata fuerit, uti benignè obtulerat, ad S. Congregationem Romanæ & Universalis Inquisitionis illud destinare; rem fortassis huic non inutilem, imo nec ingratam, præstitura est. Amant procul dubio Viri Eminentissimi, non solum cognoscere quæ cominus apud se geruntur, & sæpè speciem fallacem præ se ferunt; verùm etiam quæ eminus, & ubi omnia sunt apertiora. Videre hic poterunt, quæ sit animorum dispositio ad recipiendas decisiones quas ipsi parare dicebantur, quasque nos hic tantâ aviditate expectabamus.

ANIMADVERSIO.

Videre poterunt ex hisce *Animadversionibus*, quam ista à nobis dispositio aliena sit, & quantâ nobis injuriâ affingatur ab eo, qui ex suo ipse *Specimine* potest de dispositione ista redargui.

SPECIMEN.

Quo loco autem habenda sit ista unius Epistola, cujus fragmentum hic fideliter exhibetur; ipsamet Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra melius S. Congregationem informare poterit: ut- potè

potè cui ignotum non est, è quorum sensu poni ea soleant in LITTERIS *istis* HISTORICIS, *quæ Romam & hodiernas Belgii vel Galliæ controversias concernunt.*

ANIMADVERSIO.

Nos palam declaramus, è sensu nostro ea poni non solere in *Litteris Historicis.* Si quando fortè ponuntur quæ nobis favent; non ideò ponuntur è sensu nostro. Possunt ea poni ab adversariis; possunt poni ab ipso *Litterarum Historicarum* scriptore; possunt poni àb aliis rerum novarum studiosis: nemo umquam ostenderit ea poni à nobis. Quid enim, si *Litteris Historicis* inserta essent hæc & similia: *Faverat istis Roma ad invidiam: Omnia ipsis contraria passim proscripserat: nihil penè quod ipsorum esset aut putaretur* &c.? nonnè inserta dicerentur à nobis? Et tamen hæc ipsa sunt quæ *Specimini* suo inseruit Accusator. Quidni ergo & ab Adversariis inserantur *Litteris Historicis*?

SPECIMEN.

Nempè si quid nequius hi habent publicandum adversus Theologos sibi contradicentes, ipsosve Episcopos vel Romanos; si quidem id brevius est, fit per Hollandicum, ut vocant, GAZETTARIUM; *si prolixius & operosius; per* MERCURIUM, LITTERASVE HISTORICAS.

ANIMADVERSIO.

Figmenta mera, & atroces calumniæ!

SPECIMEN.

His auxiliis & adjutoribus surgit nova ipsorum Hierusalem, an Babylon?

ANIMADVERSIO.

M. Lutherus, aliique Hæretici, ubi ab Ecclesia defecêre, cœperunt eam *Babylonem* appellare. Hoc solatio est nobis, quibus ad extremum usque Spiritum Ecclesiæ fideliter adhærere, & pro fide ac doctrina ipsius inter calumnias, dicteria, & probra, fortiter cum Deo stare ac pati decretum est.

SPECIMEN.

Scienti omnia, aut scire valenti, loquor: publicè autem id facio, quia publicè interest ut sciatur factum esse. Lovanii III. *Kal. Maias* M.DC.XCVIII.

ANIMADVERSIO.

Et nos publicè famam nostram tueri oportuit, postquam ea publicè per *Specimen* læsa fuerat; nè, si publicè taceremus, publicè nos Epistolæ, quæ nobis publicè affingitur, authores, & simul tot atrocium accusationum reos agnoscere videremur. CON-

CONCLUSIO.

UT facilius Accusatorem inter & Belgas, quos accusat, Theologos decernat Sedes Apostolica; breviter hic tum ex *Specimine*, tum ex *Animadversionibus*, totius causæ compendium exhibebo.

I.

Criminationes triginta quibus Belgas Theologos in suo Specimine *impetit Accusator.*

1. Quod Authores sint Epistolæ Gallicæ insertæ Libello: *Lettres Historiques... Mois de Mars* 1698. pag. 3.

2. Quod Sfondratum nè Sacra quidem Purpura cum notissima virtute protegere potuerit adversus ipsorum amarulentiam. pag. 4.

3. Quod ideò Sfondratum impugnent, quia Sfondratus impugnat Jansenium, & ab illius sensis remotissima tradit. Ibid..

4 Item quia pro Authoritate Pontificis scripsit REGALE SACERDOTIUM. Ibid.

5. Quod, si nuper Summus Pontifex favisset Operibus Baii, nullus apud ipsos post prima sæcula fuisset Papa præclarior. pag. 5.

6. Quod potius Cælum terræ misceri & fractum illabi Orbem velint, quam non vindicent se de hostibus tam profanis, ut est Sfondratus. pag. 7.

7. Quod *Arausionem* confugiant, eamque pro *Roma* inclament. pag. 8.

8. Quod sint Romæ infesti. Ibid.

9. Quod nullus eos locus potius nunc excipiat, quam ille nuper veteri redditus schismati contra Romam. Ibid.

10. Quod non sint acquieturi nisi decisioni quam petierint ipsi. pag. 9.

11. Quod frustra aliquis Romæ protestetur de submissione. Ibid.

12. Quod non submitterent se si Roma damnaret hanc propositionem: *Ecclesia non est infallibilis in judicando, Quis sit sensus obvius & naturalis alicujus propositionis.* pag. 10.

13. Quod Roma eos damnando nihilum promoveret, nisi ut dicteriis incessatur & probris. Ibid.

14. Quod veritas & justitia semper sit ex parte illorum, proprio quidem ipsorum judicio. Ibid

15. Quod induerint hunc animum, ut censuras & judicia Romana non admittant, nisi cum hoc discrimine, *que si elles appuyent la verité & la justice* &c. hoc est, unusquisque juxta votum suum. Ibid.

16. Quod pervenerint ad nequitiæ cumulum, ut jam non solum dedecori sibi ducant, sed etiam gloriæ, censuram Romanam incurrisse, si putent librum suum veritates continere, quas Romani Judices vel non cognoscant vel non ament. pag. 11.

17. Quod sint Defensores Jansenii, Baii, Arnaldi &c. pag. 12.

18. Quod se tales retectâ fronte profiteantur. Ibid.

19. Quod ad supercumulum nequitiæ venerint, dum opprobrio sibi ducunt, judicio Romano probari aut laudari. Ibid.

20. Quod nequitia & superbia eorum contra Romam Sedem Petri ascendat semper. Ibid.

21. Quod decisiones S. Sedis in controversiis hodiernis, si contra vel infra desiderium illorum fuerint, omnibus diris devovebunt, & eas, & quotquot iis causam dederint. pag. 13.

22. Quod tumultuabuntur, furent, insanient. Ibid.

23. Quod Cardinales ipsos S. R. E. eorumque præcipuos inducent, uti illis contradicentes. Ibid.

24. Quod sic fecerint in condemnatione Prop. XXXI. sub Alexandro VIII. Ibid.

25. Quod Mundus capere non poterit qui per illos scribillandi sunt libros & libellos famosos. Ibid.

26. Quod hæc via ipsorum scandalum sit toti mundo. Ibid.

27. Quod quidam Eruditissimus *fide divinâ non credat D. N. J. Christum esse Redemptorem suum, seu pro æterna salute sua mortuum esse.* pag. 14.

28. Quod ex illorum sensu poni soleant in *Litteris Historicis* quæ Romam & hodiernas Belgii vel Galliæ controversias concernunt. pag. ult.

29. Quod si quid nequius habeant publicandum adversus Theologos sibi contradicentes ipsosve Episcopos vel Romanos, id, si quidem brevius est, faciant per *Hollandicum*, ut vocant, Gazettarium; si prolixius & operosius per *Mercurium*, *Litteras ve Historicas*. Ibid.

30. Quod his auxiliis & adjutoribus surgat nova ipsorum Hierusalem, an Babylon? Ibid.

II.

Criminationes Refutatæ, & in Authorem suum retortæ.

1. Epistola *Litteris Historicis* inserta id præcipuè agit, ut non amplius Romam recurratur pro expetendo Sedis Apostolicæ judicio, nec debita ei submissio aut reverentia exhibeatur: Contrarium agunt per suum in Urbe Deputatum Belgæ Theologi, quos Epistolæ Authores facit Accusator: Ergo illius Epistolæ Auctores non sunt.

Accusator in suo *Specimine*, imitatus Authorem *Epistolæ*, id præcipuè agit, ut Apostolicæ Sedis judicium declinet, ut causas Romæ pendentes inde in Belgium avocet, & ipse eas decidat, multaque addit Sanctæ Sedi injuriosissima: Statuatur ergo, an Auctor Epistolæ potius dicendus non sit adhærere ipsi, quam Belgis Theologis quos accusat.

2. 3. 4. Numquam vel verbum scripsimus in Sfondratum; adeoque amarulentiæ in ipsum, aut violatæ ipsius purpuræ ac virtutis, propter impugnatum ab eo Jansenium & defensam Authoritatem Pontificis, accusari non possumus.

Scripsit in Sfondratum Accusator: qui & famam Eminentissimi Aguirrii violat

violat pag. 6. afferendo eum paffim effe libris fuis inferi quædam circa contro-
verfias modernas de Penitentia; & non ita pridem violavit facram purpuram
alterius viri Eminentiffimi, quem de curata ultima Editione Operum Ba
fufpectum reddebat.

5. Numquam pro Baio fcripfimus aliquid. *Apparitionem Michaëlis Baii* hactenus ineditam, edi primus curavit Accufator, ubi Bajus fe *propter do-ctrinam* pœnas non luere refpondiffe narratur.

6. An eam, quam nobis adfcribit vindictæ impotentiam in Sfondratum non fpiret ipfius *fpecimen* in Romam & nos, Sedes Apoftolica decernat.

7. Eadem ftatuat, an non propior *Araufioni* fit Accufator qui Tribunal Apoftolicum declinat, & caufas illic pendentes ad Tribunal fuum avocare atque ipfe eas decidere nititur; quam nos, qui Sedis Apoftolicæ judicium conftanter imploramus.

8. Statuat item, an Romæ infeftior non fit, qui dicit eam nobis *favif-ad invidiam*, & his fimilia; quam nos, qui omnem Romæ reverentiam a obedientiam verbo & re præftamus.

9. Atque ex his, an locus ille nuper veteri redditus fchifmati contra Romam, non illum potius quam nos exciperet, haud difficulter elucefcet.

10. Nos Decifioni Romanæ acquievimus hactenus & acquiefcemus de inceps: Ipfe Brevibus SS. D. N. Innocentii XII. quia non funt qualia pe tierat ipfe, non acquievit ; & an acquieturus fit decifioni quæ deincep expectatur, ex *Specimine* ipfius ftatui poterit.

11. Non fruftra Romæ de fubmiffione proteftatur Doctor Hennebel qui plenam habet facultatem commiffionemque omnium nomine proteftan di: Sed fruftra de fubmiffione proteftatur aut proteftatus aliquando fuit Ac cufator, dum ante toties, & nunc iterum per *Specimen*, omnia facit pro teftationi contraria.

12. Ex factis etiam decernatur, Ipfene potiùs an nos parati fimus no fubmittere Judicio Romano circa hanc propofitionem : *Ecclefia non eft in fallibilis in judicando, Quis fit fenfus obvius & naturalis alicujus Propofitionis*

13. Dicteriis & probris numquam Romam inceffimus: Inceffit eam fi in fuo *Specimine* Accufator.

14. & 15. Nos Brevia Apoftolica SS. D. N. Innocentii P. XII. accepimu fimpliciter: Ipfe, non nifi juxta Programma & Decretum fuum ubi ea ad fenfum Additionum interpretatur.

16. Ergo non nos, fed ipfe fecit, quod vel ipfius judicio ad nequitia cumulum defiderabatur.

17. & 18. Calumniæ funt, quæ dum probari non poffunt, ultrò in Authoris Caput relabuntur.

19. In ejufdem Caput relabitur calumnia de *fupercumulo nequitiæ* in no falsò ac temerè conjecto.

20. Quod dicit Accufator ; *Nequitia & fuperbia eorum qui te oderunt, Sedes Roma Petri, afcendit femper, etiam te retribuente pro odio gratiam & in-dulgentiam*: ipfa Roma videat, an in *Specimine* completum non fit. Quò enim adverfus Romam afcendat altiùs ipfe Vicarius Apoftolicus, non vide-mus.

21. 22. 23. 24. 25. & 26. An hæc omnia potiùs ab acccusatore timenda non sint, quàm à nobis, colligatur ex ipsius *Specimine*, diras, tumultum, furorem, insaniam, dicteria, probra, contumelias in ipsam Romam spirante.

27. Ineptissima consequentia est, cui calumniam tantam superstruit Accusator. Quare ab illo postulo, ut quod palam sparsit, palam recantet.

28. & 29. Calumniæ sunt: atque hoc satis.

30. Decernat Roma, An *Babylonem* ædificemus nos, qui super *Petram* ædificamus & à Petri Successore Innocentio XII. Decisionem petimus: an potius Babylonem ædificet Accusator, qui non sine errore ad Sedem Apostolicam digressionem factam esse scribit, ideoque manum tollit Romæ de tabula, ut medicinam seu decisionem domesticam deinceps adhibeat.

III.

Calumniæ, dicteria, & probra, quibus Accusator impetit Sedem Apostolicam.

1. Romam perstringit, quod *faverit nobis ad invidiam.* Pag. 9.

2. Quod omnia nobis contraria passim proscripserit, nihil pene quod nostrum esset aut putaretur. Ibid.

3. Quod Brevia quædam & Decreta ab ea obtinuerimus. Ibid.

4. Addit hanc imposturam, quod Roma approbaverit, nec postea improbare voluerit, librum Sfondrati. Ibid.

5. Non obscurè etiam accusat illius tarditatem in eo, quod non citius controversiarum nostrarum finem imposuerit. Ibidem.

6. Sed & ignavam Romanorum politicam notat, dum illos timore quodam humano ne ausos quidem fuisse dicit huc usque tentare censuram hujus propositionis: *Ecclesia non est infallibilis in definiendo quis sit sensus obvius & naturalis alicujus propositionis.* Si enim, ut insinuat, in ea vertatur *cardo fidei Catholicæ*; meritò de Roma conqueretur Orbis Catholicus, si timore hominum eam damnare non ausit. Pag. 10.

7. Eâdem politicâ indicat à Romanis damnari eos, quos sciunt suæ damnationi acquieturos indemnatos verò relinqui, à quibus timent dicteriis & probris incessi. Ibidem.

8. Hinc planè statuit, *manum* Romæ *de tabula tollere*, nec amplius super controversiis Belgicis aures Romanas inutiliter fatigare; sed medicinam seu decisionem domesticam adhibere. Ibid.

9. Quin & deplorat eam ab initio adhibitam non fuisse. Ibid.

10. Et quid, quod dicat apertè, *erratum esse*, dum Romam itum est? pag 13.

11. Hinc *ad principium redeundum esse, undè non sine errore digressio facta fuit. Ibid.*

12. Nec desperat se obtenturum ab iis, quorum interest, ut primum ipsius conceptum sequantur. Ibid.

13. Adde alia saltem indirecta, in Sedem Apostólicam dicteria & probra: